LAVRÆ CERETÆ BRIXIENSIS

Feminæ Clarissimæ

EPISTOLÆ

jam primum è M S in lucem productæ

à

IACOBO PHILIPPO TOMASINO,


Qui eius VITAM, & NOTAS addidit.

Ad Illustriss. & Reuerendiss.

D.D. CASSIANVM A' PVTEO

ABBATEM S. ANGELI, DIVI STEPHANI

Equitem & Commendatarium.





Patavij, Typis Sebastiani Sardi. 1640.

Superiorum Permissu.

Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo

D. D. CASSIANO A' PVTEO

ABBATI S. ANGELI, DIVI STEPHANI Equiti & Commendatario.



Vi rerum euentus in commu-nem vitæ vſum obſeruarunt Viri longis experimentis cō-ſpicui, quàm ſint mutabiles mortalium conditiones abundè norunt. In quorum numerum quandoquidem Te jure quodam meritiſſimo, Vir Am-pliſſime, reponunt quotquot prudentiæ opinionem affectant, libet hîc nouum mundanæ ſcenæ exemplum tuis oculis ſubjicere.

Eruditiſſima matrona orta nobilibus Cenomannis, ſuperioribus ſeculis orbi vniuerſo ſpectata, rerum viciſſitudine longiſq; patrię diſsidiis ingrata obliuione veluti ſepulta diuq; neglecta latuit, ſem-perque forſitan latuiſſet, niſi, dum parū



notas ac fermè pulverulentas Bibliothecas hinc inde excutio, à tineis periclitantem è frequenti ipsorú cumulo, qui nondum typos experti, in lucē protulissem. Excitata jam nativo eruditionis suæ ornatu, ne denuò exolescat, Romam pergit, ad illam Orbis Dominam, quæ literarum emporium, ubi quidquid à barbarie reliquum voluere fata priscam adhuc majestatem spirat. Sed quia sexus innocentior Patronum exigit, me parario ad tuos lares accedit, ut benignè tuo more excepta magnis nominibus associetur. Ita eximia feminæ virtus ac eruditio meretur. Nec ulli ueriùs quàm Tibi hi labores conueniunt, cui me maiora quàm tenue hoc obsequii monumentum debere fateor, quem unà cum fratre Carolo Antonio mitiorum literarum omnisq; antiquitatis amantissimo non modò vobiscum commorantem omni officiorum genere ornasti, ac propè onerasti, sed


etiam

etiam reducem nullo tempore prosequi desinis. Absetis hoc pignus esse velis, qui Te veluti præsentem quotidie in ore, in oculis, gerit. Matronæ interim vadimonium accipe, quo suas hasce Epistolas elegantissimo tuo Museo hoc titulo dicat: CERETAM AD AETERNAE FAMAE SECVRITATEM OPTIMO PVTEO TOMASINVS TRADIT. Vale rei literariæ decus, & Charitum ocelle.


Patavii Cal. Maj. Anni M.DC.XL.

Gratiis & Virtutibus tuis addictissimus Jacobus Philippus Tomasinus.

AD LECTOREM.



ASSANDRÆ FIDELI, ab eximia eruditionis fama inter lectißimas feminas ætatis suæ ornamẽto, LAVRAM CERETAM aliquando sociam promisi, modò nostra cura luci tradita illius monumenta mitiori judicio exciperentur. Fidem quòd nunc liberem, tua, Lector, factum benignitate; quam hæc nostra sibi non inferiorem pollicetur. Sexui & seculo libens indulgebis, quę hic incondita, vel nimis libera. Cetera si tuo fauore non dedignaberis, quæ adhuc latent, vtriusq́ Nogarolę scriptis publicam notitiam impetrabis.



LAV-

LAVRÆ CERETÆ VITA

IACOBO PHILIPPO TOMASINO AVCTORE.



RIXIA aeris ſalubritate & loci amœnitate non minus, quàm origine & antiquitate, ſpectabilis undequaq; & conſpicua, verè totius Galliç Ciſalpinç flos eſt & ocellus. Pagis namq; frequentiſſimis, vallibus amçnioribus, frumento, oleo, vino, lino, rebuſq; omnibus ita luxuriat, vt meritò Franci, cùm iis olim eſſet in delitiis, non exiguam ipſius agri partem *Francam curtam* appellarent. Iacet Vrbs in planitie ad radices colli qui dicitur Cygneus; vnde Catullus ex recenſione Mureti,

Brixia Cycnea ſuppoſita ſpecula;

ædificiis plena & habitatoribus. Spectantur in ea ſumptuoſa & magnifica templa rarioribus picturis exornata. Diues eſt artificum: Antiquitatibus abundat; fontes frequentiores eam amœniorem reddunt. Viri

armis ac literis æqua lance celeberrimi domi forisq; omni seculo hinc exiere, quos elogiis concelebrarunt multi, & præsertim Octauius Rubeus patriæ vetustatis elegātissimus scriptor. Eandem urbis felicitatem ante ipsum Hieronymus Campagnola ciuis noster ad Cassandram Fidelem tangit: *Videbis Brixianorum ciuitatem affluentem equestris ordinis Viris, Iureconsultis, Philosophis, Medicis, singularis quidem doctrinæ, tum venustæ nobilitatis ciuibus uberrima diuitiarum copia refertis, ut Regulis possint merito comparari.* Solertis autem ingenii populus, armis præcipuè deditus est. Familiæ hic nobilium multæ numerantur, titulis honoribusq; inter cæteras Italiæ præstantissimæ. Ut pulcherrima Vrbs est, sic omnibus rebus affluens. Hinc verè de ea Iul. Scaliger.

Quæ pigues scatebras specula despectat ab alta,
Postulat imperii Brixia magna vices.
Cælum hilare est, frons læta Vrbi, gens nescia fraudis,
Atq; modum ignorat diuitiis uber agri.

Nec solùm Viris præclaris qui voce & scriptis varias Europæ nationes illustrarunt, quosue Sanctitatis fama nobilitauit; Sed Mulieribus etiam

etiam summæ pietatis ac doctrinæ exornata fuit, quorum nomina veterum monumentis passim nota: ut meritò Ludouicus Cendrata Veronæus apud Capreolũ Historiographum Brixiensem *Academiā non solùm hominum, sed etiam Fœminarum appellauerit*. Inter plures fœminas nobiles memorare iuuat Luciam Albanam Aduocatam, & Veronicam Gambaram, Carmine Italico variaq; eruditione celebrem, cuius famam nunc summa cum laude peregregiè Deidamia Gambara Comitissa virgo eruditissima, & omni genere virtutum ornata sustinet. Vna verò mihi LAVRA Cerete hîc delineanda venit, documentis ex ipsamet depromptis, & Andreæ Moretti Philosophi, Medici, ac Mathematici humanitate, quum cætera vetustas obscurauerit; non tam ut Vrbis præconiis aliquid accedat, quàm ut fidem publicatam liberem, & caduca rerum mortalium conditio famæ perennitate subleuetur: etiamsi prolixis verborum encomiis Ceretæ meminerint alii, quorum fama minimè obscura est. Magnifica sunt ad Cassandram Campagnolæ verba: *Te hic legum liberaliumq; Artium græcarum latinarumq; doctores circumsta-*

bunt tuam admirantes doctrinam artemq; dicendi: Te nuptæ, Te viduæ, quarum princeps est LAVRA CERETA vidua sanè literatissima: Te virgines omnes nobiles veluti Sanctæ. In eandem sententiam Helias Capreolus de Rebus Brixiensium Lib. xii. *Sed ea literarum doctrina floruit tunc ciuitas ipsa, vt non modò viri, quorum opera plurima atq; doctissima in Gymnasiis publicè legũtur, sed etiam Laura Cerete ciuis nostra nõ paruum elegantissimarum scripserit Epistolarum volumen: eò certè inter virorum opera dignius, quò multos vna ipsa mulier etiam dignissimos excesserit viros, ut antiquarum feminarum decus & præsentium ornamentum ab eruditissimis viris meritò sit appellata.*

1 CERETAE familiæ appellationem dedit Ceretum antiquum agri Bergomensis oppidum, cuius incola Oprandinus numerosa progenie nomen dilatans pronepotem habuit Baptistam, quem Medicæ artis famâ Brixię, quũ obsidione vrbs premeretur, Anno 1430. ad annum propè 1465. claruisse accepimus. Filium is reliquit Siluestrum publicis muneribus conspicuum, qui ex Veronica de Leno antiquissimæ familiæ splendore clara coniu-

ge

ge Anno 1469. cùm primam ſuſcepiſſet filiam, Lauræ nomen ei impoſuit, in memoriam Lauri, quæ in horto domeſtico iamdudum antea hibernis injuriis exaruerat, quam ipſa miro eloquii artificio depinxit, dum inter cætera ſcribit, *quod polituras horti frondentis procacibus ramis vmbrabat*. Filios prætcrea habuit ille Baſilium, Danielem, ac Hippolytum, binaſq; Filias Deodatam, & Dianam. LAVRAE monſtroſa contigit nutrix. De qua ſic ipſa: *Montana fouit altera à Matre me nutrix, quæ tumida guttur enode rugabat ora lurida, impeditos ægriùs anhelitus trahens. Tremebam memini monſtroſam hanc faciem horridula, ex quo ſimplicior innocentia, fari neſcia, ab hoc diurno lemure citiùs ſe, quàm crediderat, propemodum exemit*. At Lauræ ſpecies admodum venuſta; quam ex vultu artificioſi operis aliquando conſpexit Octauius Rubeus. Sed nullum ejus hodiè apud Brixienſes veſtigium. Quæ enim olim videbatur Lauræ nomine inſignita, elegantiâ ſuâ multis ſuſpicionem iniecit Lauræ; quam Petrarchæ Muſa celebrauit: quo nomine in Sabaudiam nõ exiguo precio tranſportata fuit. Infans lumbricos paſſa, puella variolas, va-

leu-

letudinem postea integram habuit. Pietatem cum primis literarum initiis domi apud Parentes imbibit: Septimum postquam attigisset annum sacris Virginibus informanda traditur. Hîc illa jam literis incumbere, iam acu pingere, miranda profectus celeritate. Biennium postquam hîc exegisset, domum reuocata quum rara edidisset animi documenta, Pater Grammaticis cæterisq; literis mitioribus erudiendam curat. Ingenio cùm esset versatili ac prompto, studiis maturè domesticarum rerum administrationem iungendam censuit idem. Paruit illa, sed nunquam literarum immemor. Et quidem iactis probè Græci sermonis fundamentis seueriores disciplinas maturè serioq; adiit; nec ullam humanæ sapientiæ partem intactam reliquit, eloquentiæ in primis Romanæ dedita. Morum doctrinam & Civilem prudentiam suo genio aptam excoluit. Nec rerum naturalium contemplationem, etiam stirpium omisit, maximeq; celestiũ, quæ peculiariter sibi Mathematũ appellationem vindicârũt; contenta ad vberiorem historiæ notitiam

Ex charta pictos addiscere mundos.

Sacrarum quoq; literarum notitiam avidè hau-

hausit. De Patris sententia & arbitrio omnia, cui Praetoria & Praefecturae dignitate aucto semper adhaesit. Sed, quę ipsius prudentia erat, Petro Serinae civi suo, probo & docto Lauram coniugem locat. At nimium brevis humanae felicitatis vsura. Vix enim octo & decem menses cum marito exegit, quum ipse dirę febris fatali necessitate sine prole in meliorem vitam auocatur. Eius memoriam sic ad Barbaram Albertam prosequitur ipsa: *Occurrunt oculis lachrymae, & inquietam me habet dolor insignis, quotiens prae me fero memoriam viri defuncti. Hic enim ad humanitatem maiorum cura indulgentiaq; compositus comiter adeo mecum se gessit in omnibus, ut in meo me literarum quietissimo studio sub pignore inuiolatae pacis amauerit. Erat enim inter nos vna semper vnitas, vna pax, vna concordia. Sed illi (proh dolor) in tenerrimo aetatis flore mors ingruit, & dum meliora adolescentiae meę promitterem, omnia mihi paruo momento iniquitas fortunae surripuit.* Doloris itaq; acerbitatem vt leniret, non repetitis nuptiis totam sese literis dicat. Disputationum Theologicarum pertaesa, quod, vt fatetur ipsa *nollet in Deum laboriosum aliquid con-*

tem-

templando moliri, sed credere : relictis etiam Mathematicorum spinis, eam potissimum sequebatur Sapientiam, quâ mortales censentur meliores euadere. Crebri de hac ad amicos ipsi sermones habebantur. Nec fermè aliud iactant eruditæ eius Epistolę, quas fortuna meritissimo ipsius nomini superstites voluit. Bone Deus, quàm hîc omnia supra sexum animum planè virilem spirant : licet interdum sermo eius æui licentiam & paulò affectatiores dictionis flosculos trahat. Quam hîc omnia sententiarum globulis nitent? Quod non ubiq; dicendi artificium elucet? Quę non animi sublimitas? Vnam cogita Epicuri doctrinam de Virtute Amicis pręferenda; de Voluptate eiusdem explicationem; Germanę militię defensionem adde, viuum itemq; Inferni typum. Quàm erudita, quę de Planetarum influentiis in vegetabilia, de Donariis, de hostia humana, de maritali jugo; quàm amœna & festiua de conuiuio, quàm varia de Itinere; seuera de varia per characteres medicatione, de Venetorum constantia, de Mortis imagine, de Principum auaritia, de fortuna, de muliebri luxu; quàm prudentiæ plena ad literas & studio-

rum

rum moderationem exhortatio Verbo, quàm ingeniosa, arguta, omnia. Quid mirum? Ingenii facilitatem iuuit ingens literarum gloriæq; studium, atq; alienæ virtutis æmulatio, quam pręcipuè in Laura Petrarchæ idolo spectabat, cuius æternitatem se intimiùs affectasse liberè profitetur. Sed intra modestiam, cuius nunquam non memor vixit. Nec sine exemplo sui sexus eiusmodi animi cultum captasse ostendit claris earum titulis, quę ipsi literarum celebritate præluxerunt. Accessit firma corporis valetudo, cujus adiumento indoles illa quotidiè vires agebat. Maximas animi dotes in primis ornabant candor niueus, summa Pietas, ingenii libertas, non sine vehementię nota in aduersarios. Nec sanè iniusta ei fuit indignandi causa, quum increbescente literarũ famâ se multis pręter meritum invisam cognosceret. Suos tamen habuit Patronos & familiares, quibuscum frequenti literarum commercio contractam necessitudinem arctè coluit. Ascanium scilicet Mariam Vicecomitem Sfortiam, inter Patres purpuratos non exiguæ auctoritatis, Franciscum Fontanam Oratorem Regium, è Cl. Viris Bonifacium Bembum, An-

ge-

gelum Capellum, Constantium Bonum; inter sacrarum literarum doctores Thomam Mediolanensem Preceptorem; Thomam Florentinum, & Fr. Ludouicum de Turre, Prædicatores venerebatur; Iurisconsultos etiam Sigismundum de Buccis, Io. Dominicum Patrisium, Franciscum Prandonum, Albertum de Albertis; ex Medicorum præterea choro Michaelem Bacium, & Raymundum Fortunatum; Clementem Longulum, Ludouicum Cendratam, Io. Oliuerium, Grammaticos, cæterosq; quorum nomina Epistolis præscripta sunt. Atq; his perscribendis à Mariti funere doloris acerbitatem perliniebat, si quid ei ab aliis grauioribus studiis otii suppeteret. Quibus non mediocriter fuisse tinctam illæmet ipsæ vbertim ostendunt omnis Scientiæ ac eruditionis plenæ. Nec dubium, quin veram rectè viuendi rationem, cui maximam laboris partem impendisse credimus, magnâ famę accessione reliquisset, quandoquidem non obscurum operis cuiusdam spem facit, nisi temporũ turbulẽtia intercidisset cũ tabulario domestico, ex quo suã originem ipsa decerpsit. Indefessi nãq; laboris ingeniiq; exercitati largissimos voce calamoq; edidisse fru-

ctus

ctus verisimile est. Octavum quippe annu... vix emensa supra decimum Theoremata Philosophica publicę disputationi magna subtilitate exposuit. Oratione funebri ad invidiam eleganti non parum sibi laudis peperit. Nec ipsi satis erat commentariis variam eruditionem recondere, nisi & civibus post annum ætatis vigesimum ę suggestu eam septennium integrum traderet. Literarum amorem hisce indicat: *Mihi sub imo corde literarum solus amor inæstuat, quo maior semper animus in ipsa studendi difficultate adolescit. Sed inter electa voluptatum pocula, dulce est suum vnicuiq; venenum.* Nunquam tamen ita profanis animum occupauit, ut non humanæ sortis fragilitatem sub mentem reuocarit. Inde aurea hæc: *Vaga quippe & inanis est humanæ gloriæ mercedula. Inuitat me ad calcanda desideria fugacis vitæ peregrinatio transcurrens; ob id renunciaui mundo, eosq; fines legis mihi constitui, in quibus ultra licitum, libeat nihil. Ego paratum mihi speculum mētis ad mortem Saluatoris nostri doctrinam menti semper ostendo.* Cygnea cantio veræ Philosophiæ plena, quam prisci sapientes mortis meditationem dixerunt. Neq; enim

tri-

trigesimum annum excessit lectissima sui seculi femina, de cuius Epistolis Plinianum illud de Pōpeii Saturnini vxore prolatum licebit usurpare: *Plautum vel Terentiũ metro solutum legi.* Cuius famæ quid à nostra tenuitate addi possit, vix reperio. O ter beatam animulam, quæ sic inter mortales ingenii famâ perennas, ut cœlitibus iuncta post varias ingenii exercitationes æternâ pace perfruaris.

Mortales exuviæ meritissimâ pompæ solennitate apud maiores repositæ in S. Dominici Templo; cuius variatâ substructione tumulus hodiè ignoratur.



Ad Reuerendiss. in Christo Patrem &

D.D. ASCANIVM MARIAM:

TITVLI SANCTI VITI;

Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem.

Lauræ Ceretę Brixianæ, in titulum Epistolarum Prologus.



Ejunum, & inexpertum adhuc, immo vix intinctum litteris ingenium: prima mihi primæ eruditionis rudimenta monstrabat quando tantus amor ille studij, tanta proficiendi delectatio me tenuit. Creuere sensim tenuia ingenioli germina, adusq; populares fastus orandi: In quibus promouendis, emoliendisq; animis multa referta flosculis annotabam, multa interpingebam ornamenta verborum. Vagabatur per diuersa delectatio legendi, & in solo studio mihi fælix intus eram: Licet tamen pauperior semper es-

sem in ipsa cupiditate discendi: hinc expergisci ad honores cœpit judicium inspectiùs, tanquam maiora ad se vocaret animus surgens. Sic crescente ingenio, creuit & studium, ex quo vber diuitis illa stili fœcunditas à prima via ad præferendam studiis omnibus philosophiam me reportauit intentiùs: tanquam voluptatem meam fructus magis, quàm frondes habuerint: & iam iam argueret me rubor honestatis, ea tāto temporis impendio compingere, quæ solas possent emptoris aures, modulata verborum elegantia, decipere. In exitu ergo pueritii, quum ingrediendam adolescentiam anni prospicerent, & essem iam litteris præceptisq́ maiuscula, iuit altiùs in cogitationem mihi mea mens, cuius consilio vendidi libris aliis oculos in studio vigiliisq́ cadentes: velut cui ardens de mathematicis inhiaret affectus. Hæc si in intelligentiæ hosti non aperuit, steti saltem propter quatrifrontis scientiæ limen, admissa. At neq́ mihi tamen beatæ voluptatis domus hæc fuit, licet vndiq́ sit pulchra cognitione rerum ornata: est enim causarum agnitio virtuti perproxima, sed studiorum tanta varietas interrumpit ingenia. Sedit ergo securiùs

rius mihi iudicium, mansitque in proposito firmior, inhærere sensui litterarum ecclesiæ, vt degustarem si plus generositatis haberent; huius medullitus introspecta doctrina tantum apud me adusque nunc auctoritatis acquisiuit, vt & sine interuallo dederim illi noctes studio peruigiles, & laxamenti omnis alia respiratio subduxerit se, distraxeritque ab animo furtim. Inest enim diuinis litteris simplicior illa veritas, quæ sub acumine subtilitatis immensæ prodest non minus vtilis, quàm delectet ornata. Hinc contentam contemplationi viam inueni. Quippe quæ libenter vtor auctoritate dogmatum, quibus firmæ recti sententiæ ponderis non minus, quàm fruitionis immiscent. His igitur sat eram contenta litteris quæ possint non vmbram mihi, vel fumum, sed perpetuo securum aliquid, perfectumque largiri. Surrexere diuersi ordinis electissimi viri, qui me dicerent in cassum, meum mihi scire didicisse, non aliis: quum ob id in studio, atque litteris educentur ingenia, vt exemplo maiorum, alteri prosint. Placuit dictare aliquid, quod me ab obiectis absolueret: & malui fauori plebis placere, quàm mihi. Sic incitata stimulis famæ, sensim in prodigum erro-

rem scriptura carpebar. Hinc primo calamo super Aselli cadauere consolata, sum gemitorios vlulatus in funere. hac vna, atq; humilis oratio multorum sibi conflauit inuidiam: qui liuoris dentes tanquam gladios in me, velut trepidantem inter lupos Agnulam, diriter, inhumaniterq; pararunt. hi pleni ludibrio, sputis non sunt veriti dedecorare me, adactam iniuriis. Sed omnia diu, atq; patienter ideo tuli, ne forte dicerer in delitiis animi fracti, de constantia Philosophiæ tractare. Didicit enim acrior animi præstantia obiurgatores habere contemptui, ne videatur votum digladiari cum votis, & in iræ mutuos ictus alter alterum trudere, quod à simplicitate sua, expers terrenæ passionis, continentia prorsus eliminat. Nam molestiis nostris patientia, non inquietudo præstanda est. Aliter obteri posset ætas nostra semper in pœnis: Nam quamuis emi posset iniuria; vendi tamen vindicta non debet. Verum, quum tutelæ nominis nostri strictior charitas indulgeat, non potui esse adeo mihi vilis, vt vel semel, totiens prouocata, non scriberem. Mox ad me rescribentem, frequens sollicitantium turba scribebat. Respondi longius, atq; diuitius mul-

tò, quàm credidi. Verum pertesa dierum, quibus tot magno empti labores euanescerent, alias, & aptatas operi reliquias à scribendi negotio subtraxi. Percarum nanq; nimis est, quod precio temporis emitur. Creuit ergo ad hunc, atq; illum epistolare cõmercium. harum autem vna est omnium, atq; humilis facies, quæ delectare possit, admirari non debeat, ceu quæ sit sub viuis, licet paucissimis coloribus ornata. Nam quid fructus habere potest, luculentissima illa fœlicius oratio, quam sequaces quidam, intortiq; pampini subnascentibus verborum tot comantibus foliis illigant? Promptius ea semper, & suo melius ordine digeruntur: quæ vlla incinentis Stili lasciuia improbari non possunt. Sanctior quippe doctis est orationis pressæ modestia: ad tersæ politiei superuacua, superuacuus labor insudat. Nemo iam vllus expectet, quòd sit in me raritas vlla, quæ originem traxerit ab æuo Phœnicis. Sat erit omnibus hæc litteratura domestica, in qua nullus ex græcis Amphion modulãti lyra cantauit, nullus Demosthenes, nullus Theophrastus orauit. Non reddunt Virgilio æstimatiorem Æsopum picturatæ illæ chartæ figuris: viuas figuras,

ingenium, ex ſententiarum pondo, parturit. Propterea non cenſuerim, quòd ſit argentea vultur auicula volante nobilior. Animata namq; nō elemētata virtus inhabitat. Sed quod nam poteſt ſententiis precium eſſe preciatius? Sum itaq; inter poeticos cignos balbuticula pica, quæ prima vix elementa ſubdidici. Sua ad ſtudium cuiq; ingenio præſtanda eſt portio. Nam ſupra vires nemo tutus enititur. Sic tutius eſt rationi, quàm opinionibus credere. Nimirum ardua eſt, & in abruptis anguſta, qua ad gratiam duraturi nominis ducimur, via. Gloriari, fateor, poſſum de ingenio, quod mihi dono dedit omnipotens: quum rara inueniatur omni æuo puella, quæ libros accurata nitoris elegantia condiderit. Ego liberalibus diſciplinis impendi quicquid vitæ ante defluxit: & tamen totulus ingenii vigor in ſe conuerſus has pauculas tandem epiſtolas, & compendiario ſtilo frigidas exangueſq; compoſuit, Hac tanta inopia ſcribendi conterrita non ſum auſa me credere judicio legentium, niſi cum adminiculo Numinis tui: de cuius præſidio, meliora mihi tua in omnes ſuaſit humanitas. Hortatur me viua ratio, bono animo ſim: quòd

omnes ope tua freti in optatum euadunt, supra Fortunam adiuti. Scio quòd vel hanc procuratiunculam pro salute mea suscipies, qui misericorditer soles afflictis, etiam non vocatus occurrere: dolentium preces non expectat tua pietas, quæ subuenit priùs, quàm ignoscat amicis. Suspectius præcauendum est mihi, quomodo inter paliuros & vepres inambulem. Norunt experti, quantum nudos pedes vrticosa simultas inurat! Nec præterit doctos, quot indefensi scriptores sunt à probatissimorum foro, senatuq; prohibiti. Odium omnia discerpit: omnia distortæ interpretationis noxa commaculat. Et quamquam veritas omnia dijudicet, mordet tamen hanc iudicem culpatrix omnium inuidia; quæ velut ocultus fraude latro in litteras, per captatum odorem, anxia venatur. Quum igitur huius ad te opusculi mei expeditionem mihi tandem indixerim, qui Ecclesiæ militantis Dux alter es, Cardoq; firmissimus: maiestatem tuam supplex imploro, vt hæc mea scripta in partes tutelares admittas. Ego enim ea, qua me decet humilitate, te patrem, te censorem, te dominum, fauoris causa delegi, qui si non humanus deus es, Deo tamen dignus surrexisti,

rexisti virtutibus tuis, adeo est in gentes omnis tui nominis dimissa noticia, adeo venerantem Romæ populum in te religionis stupore conuertis. Grandis nanq; fidei tuæ constantia & iustissimis legibus ordinata mens tua, prædicatissimum honorem tuum inuiolatum semper, intactumq; seruauit. Nam postquam apostolica sumpsisti Petri piscatoris insignia, gubernasti supramodum, sanctéq; vrbes, tanquam mansuetæ ciuilitatis tranquillissimus pastor, quem militaris gloria non minus, quàm moderata consilii grauitas sfecit illustrem. Perexculta sane, & præcellentissima tua rerum gerendarum industria, qua prouidentius futura prospectans omnia ratione metiris. Magna liberioris animi tuæ firmitas, quæ totiens victrices manus cum fortuna conseruit. Permagna, & obliuiosa iniuriarum tua superexcellens illa generositas, de qua testatior posteris fama relinquitur. Omnes nanq; votis, proq; consiliis implorandis, ad te suppliciter, velut ad viuum oraculum Consulti numinis, occurrunt. Fulget enim in te virtus, Augusto digna, cui & plebis obstrepunt plausus, & patrum integer, atq; vnus amor omnium famulatur ardentius: Adeo vt sub ar-

genteo

genteo tuo ſceptro blandius ætas aurea, quieſcentiuſq; reſpiret. Tu in ſacroſancto Conſiſtorio quietem fraterno fœdere foues: Tu extincta regum odia à bellorum turbinibus ad beatiſſimam concordiæ pacem inflectis: Tu ſagax, induſtriuſq; gubernator Imperii artifici prouidentia redintegras quidquid vexata bellis Eccleſia perdiderat: Tu omnibus antiquorum titulis, pro liberalitatis larga manu præferendus Subditos habes, qui exemplo tui fortunam caſuſque omnes toto animo ferant: qui ve, ubi opus ſit, exilio ſe ſe, mortiq; tuæ, & opponant, & impendant. Ob hoc Tibi iam, & Virtuti Seruula ſtudium hoc omne emancipaui nomini tuo, non vt tam paruo inclytum ſolium ornaretur, ſed vt illud mihi pro maximo honore nanciſcerer. Nam quemadmodum muneribus ſuos Reges Parthi ſalutant; ſic proferunt de ſtudii ſinu dona Latini, quibus ſuos Atticos, ſuos Mæcenates illuſtrent. Hoc non eſt in manu mea, quæ de omni ſcientia parum aſſequor, ſed hujus concepti iam deſiderii mihi reſtat obligatio, cuſtodita memoria.

Red-

Reddam, si eloquium forte limatius implicatæ linguæ impedimenta disruperit, hæc purgatius interea, dum nosce merear: tu omnium ante te clementissimus non dedignabere, spero, huic tantæ penuriæ, nuditatiq; verborum diuitis ornamenti suppetias afferre. Libellus ergo iste tuus, in quo vigilias, laboresq; longos impendi, quamquam per sese sterilis sit, coalescet tamen diffusius in tuis manibus: germinabit, fructitabitq; succifluus. Quis enim ab mendis omnibus in tuto non agat, qui se illius fidei credidit, qui ex specula altioris ingenii, cuncta prospiciens, cuncta videt, cuncta cognoscit? Scientissimum te litterarum omnium, nasciturí non minùs, quàm presentes sub æuo memori sanctius diutiusq; cognoscent, & lacerum inuentum hoc meum, vel ad tui memoriam, venerata dignatione cantabunt.



LAVRÆ CERETÆ EPISTOLAE.

Ioanni Oliuerio Grammatico Laura Cereta S. Epist. I.

IN huius horæ discursu Saturnus in Sagittarii sexto gradu à Septentrionibus retrograditur præceps. Iuppiter verò retrogradus, & à Septentrione descendens, in octauo Capricorni gradu discurrit: Mars autē directus, & ad meridiem procliuis in propriç domus Arietis vigesimo primo gradu recipitur, in quo splendet vmbilicus Andromachæ. Sanè Titan à terra superaltissimus gradum Geminorum peragrat vigesimumquartum, in quo vltimus terminus Martis, cum tertia facie Solis, elabitur. Sic Venus terræ proxima, & à meatu suo contraria in Boreæ pendenti refulget: & à Geminis in gradibus vndeuiginti respicitur. Mercurius verò ad Aquilonem directus attollitur, & in defluxu ad terram decimumsextum Cancri gradum inoccupat: Non aliter

ter Luna in Virginis quarto gradu corrutilans ad ardentiſſimum Algaphar per ima diffunditur. At maior Arcturus flammantius emicans ſe nuper abdiderat: verùm Draconis igniti caput in Piſcium ſeptimum gradum anhelat. Eſt præterea Lunæ quartus ad Saturnum occiduum, & in trino ad Iouem orientem; ſub ſpiris caudæ Draconis, & poſt caſum ſeſtilis aſpectus inter Martem, atq; Mercurium. Ingenioſa quippe ſuper cœleſtium corporum ſeries, quæ litteris perdiſcendis, atq; artibus fauet. Tu fauentibus aſtris, pro tua in nos beniuolentia, Baſilium, atq; Danielem, tenellos fratres, inſtituendos tibi ſub ferula celebris illius diſciplinæ tuæ ſuſcipies. Septimo Idus Iunii, circa meridiem 1486.

Sigiſmundo de Buccis, LL. Doct. Laura Cer. S. Epiſt. II.

QVanquam in præturam hanc patris ocii gratia deuenerim; Nulla tamen vnquam, vel parua reſpiratio, vacuum mihi tempus exhibuit; velut quæ pater-

neç rei familiaris indulgentia nõ minus, quàm maritali cura distringar. Illa nanq; iugiter, pro existentium opportunitate me inuocat; hæc auocat. Alterno vtrinque studio sollicitor. Nullum à me dari potest omnino litteris ocium, nisi sub vegetissimo somno, dormiam minimum: Tanta est parsimonia temporis apud eos, qui suis æque ac sibi solertiæ nõ minus, quam laboris impendunt: Sed furatrix horarum vigilantia diuisum die toto spatium inuenit, in quo, post noctis multæ lucernam, rursus matutina me agam; Nunquam enim primæ labentis diei tenebræ litteras fallunt; Redeuntis autẽ orientis prima fax, illuso acu picta veliculo, datur. Sic tenax laboris improbi ratio telam hanc interfilari colorum reciprocatione distinxit. Opus trimestris lucubrationis hoc fuit, sed non aliqua tamen Alchimedontis diuinitate, permixtum. Prodiga sane iactura, qua vitæ monile tempus tam inani labore profunditur. Sed nulla est hodie luxuriantis pompæ mensura, ad quam, neq; cum suis margaritis India, Arabiaq; sufficiunt: Tantus est procacium fœminarum luxus, tanta nostratium

deli-

deliciarum creuit vſque deuotio. Omnes enim per ſuos paſſus latæ, à temperãtia imus auerſæ: Tametſi extronti licentia quædam aliæ, aliæ diſſimulanter, furtimq́; compecent. Oblongulus igitur cohoperturæ panniculus toruam in medio Pantheram, & cõſpicua ſatis macularum varietate diſtinctam, oſtendit. At leuam tenet intortus, criſtatuſq́; Draco, quem lingua diuiſim tremula, & picturatæ ſquammæ, radianteſq́; oculi, parata crudelitate nobilitant. Has contra beſtias jubatus & feritatis aſpectu febriens Leo propatulas in dexteram hiatu fauces adaperit: quaſi ſubuiui omnes irritatim ſecum infremant, minitenturq́; viciſſim. Altiùs in reſupinum, & roſtro atq́; vnguibus propugnantem per inane Miluum nigricans pennis Aquila deuolat: Sed aureus in ſummo Phœbus argenteam corniculatamq́; Lunam intercurſantibus radiis illuſtrat. Vltra feras celſitudo bicipitis montis aſcendit: ab cuius interiacente Valle emiſſus amnis aduerſo curſu defertur. At verò vtriuſq́; iugi paria interualla implexæ crates curuo nexu perſtringunt: Sed alterum nuda ſolum, &

pro-

prominentia ſaxa, ſaxis aliis, atq; aliis ſuper impoſita, compingunt: è quorum proſciſſo vertice flammigerum, interfumanſq; globatim eructatur incendium. Alterum circunueſtiunt prata florea, & viridius monticulatim omni herbâ virentia. Mõtis vtrunq; latus, vmbroſis operculis nemus opacat, ubi pomantes hinc ſuos inter ramos eſculi, inde verò leniter dependulæ baccis oliuæ, confruticant. Hìc, quacunq; ambit campus, obtenduntur, adalliganturq; circum propagines, prælonga ſurſum, deorſumq; gracilitate curuatæ. Has inter pampini reptatu ſequaci circunflui, nigrantes in palmite ſuſtinent vuas. Modicum ſpatii quoddam marginata cingit extremitas, in qua interalbicans auro purpura, & ex alio, atq; alio loco punctatim transfuſa, procurrit; ex obliquis autem palioli capitibus capillacea quædam ceſaries explicatilis argenti præfunditur. Nunc volubile penſum, quo tenuata, rurſuſq; retorta lanugo netur, omiſerim: Nunc tereti, æqualiq; filo bombix Arabiæ deductus, præteriri fas eſt: Nunc ſpinoſo pectine carminatum diu ſtuparium, & lini byſſini precia, ordi-

tutæ lenius, blandiusq; fusa posthabeo, ne altera forte Pamphile Græca, vel Arachne Colophonia, in prouocatam ingenio Palladem contentiosa dicar insurgere. Proh curæ mulierum inanes, quibusnam desideriis, quo trito tempore, ab Opia lege refugimus, qua elaboratæ hac arte vestes probro fucantur! Velut quæ auri, & argenti, ardentisq; purpuræ discoloribus filis sub tam inutili eruditione discurrunt. Ob hoc.P Sulpitius Gaudius à P. Aphricano rephenditur: ob hoc à.L. Torquato Hortensius appellatus est histrio. Sed esto, ita forte ætatis huius pellecti mores expostulent. Hæc ea sunt, quæ ante illucescentes diei radios meis manibus feci: Quas autē ante primam quietem recensuerim Musas, testis est Epistolarum grande volumen, quod libraria nunc elementatim format impressio. Ego sane omnem gloriam meam in litterarum delectatione reposui, ne dum alii pro caducis diuitiis maria pertranseunt, Ego domi sub parentis studiosi documento, pro immortali possessione, tabescam ignaua. Possessio nanq; virtutis grandes animos ad eos famæ fructus accendit,

qui

qui ſunt cum tranſeunti labore perpetui. Vale. Cal. Ian.

Laura Cereta. Bonifacio Bembo. S.
Epiſt. III.

OFfendis titulos, Bembe, atq; ordinem rerum (pace tua loquar) obuertis, qui eius te patroni clientulum vocas, cui ad meliores vias, & dux fuiſti ſemper, & comes. Legit is litteras tuas, cordi non minùs certè proximas, quàm ab ſpe ipſa opinioneque remotas. Ex his nouit pater cum quibus litem conteſteris: nouit & cui rem diſcernere, tribunal immineat. Huic ille te examuſſim ita commiſit, vt ſe ſe ſuaq; conſueuit. Hæc veſtigia ſunt amicitię, non pignora: eſt enim in manu tua quidquid illi vel Fortuna, vel Natura conceſſit. At dolet certe plurimum, quòd tam diu exturbatus à tuis, ſiue id voluntas tulerit, ſiue neceſſitas, videare nunc è poſtliminio perueniſſe ad amicum abſentem. Neq; propterea debet iſte caſus vultuoſus tibi videri, quòd patriæ morem gerat, & functus munere ciuitatis, huc pro iure di-

cundo quasi nuper accesserit. Tametsi tui gratia id nunc euenisse illi acrius multo, atq; tristius animum tangat. Is nanq; vel absens idem tibi est, qui & presens semper apparuit; qualis autem apparuerit, nemo te melius intelligit. Nonis Augustis.

Io. Dominico Patusio Legistæ, Laura Cereta. S. Epist. IV.

VNas nuper à te litteras accepi, quę, Pierio stilo frondentes, ea proximę cognationis nostræ monimenta præ se ferunt, quæ è recenti memoria nō exciderant. Ego nāq; tantidem te tuosq; facio, quanti vos Petrum, mihi preciatissimum Virum. Quare quum eo loco te habeam, quo periti legum habentur, non est tale nostræ necessitudinis pignus, vt debeat tam properanter obliuione deleri. Quòd verò pro re rustica tua viscenda me comiter apprecaris, pergrata fuit admonitio, & gratulor tibi, quòd ita ferat animus. Hinc vt omnis causatio resecetur, ego istuc pridie festum crucis venturos nos omnes, miscendi ioci gratia, polliceor, vt saltem in vi-

nito-

nitores tuos ridendi stet casus, dum collectas vuas rusticano illo pedum motu calcabunt. Parentes nostri eam tibi, & fratribus, atq; matri primum resalutationem adscribunt, qua illos obsequio tuo saluos esse mandaui. Nec propterea expectes, quòd versus tuos, in medio Nasonis mari natantes, hac ausim hæsitantis ingenii nauicula sectactari. Ego exsuceam hanc potiùs, & inuentione tardam Epistolam precario excusationi tuæ committo: Nam pedestre hoc nostrum, & quotidianum scribendi genus frigide semper, atq; ieiune, exiliterq; defluxit; Quarto idus Septembres.

Ludouico de Leno, Auunculo. Laura Cereta. S.
Epist. V.

PRimior maternæ stirpis origo Auctorem vel Endymionem habuit, vel Atlanta, quorum alterũ vates asserũt anhelasse Lunam ardentius; alterũ succolatu fabulantur astra portasse. Quisquis ille fuerit, alterutrius vna tamen est optio, quum presertim vterq; fuerit Stellarum cognitione spectatus. Huic

inde altius sanguini ducto fidem astruit scutatum tuæ domus insigne, in quo cum sidere, atq; Luna crispum hominis capillamento caput ostenditur. Hæc fuit principio viua illa scintilla, qua mihi ad perdiscendos cœli cursus, terrarumq; globos ardens animi reluxit incendium. Hoc stetit quam vigilius mihi consilium, quo duce ad calcandum pedibus ocium primos schola mihi fores aperiunt. Nec putes quòd pro tot dulcibus studii sudoribus Augusti mihi, aut Mecenatis premia spoponderim; Noui satis quid ferat Principum rapax, eruscatrixq; cupiditas. Ego potiùs omnem hanc insumpsi operam mihi, vt Lauræ nomen, miro Petrarcæ preconio cantatum, nouior altera in me custodiat ęternitas: Aeternitatis autem vsquenunc jacta fundamenta sat arbitror ex illo miratu multorum, quo prima gloriæ mihi repositio paratur, velut quę omnium sollicito quodā miraculo puella adhuc, & rara forte mulier insurgam: tantulus est quippe ille nitor eloquii, quo absonæ buccę meę jejunitas, immo fames ipsa nutritur. Stat aliqua tamen ingenii capiendi cura, & peracris animus

ad præſtantiam ignitabulo virtutis a ſpergitur. At famæ teſtimonium publicum eſt ipſa inſtitutione parumquanto grandiuſculum : verùm eniti mens eſt, vt rumori par ſtudium digeſtos ab Atlante, Endymioneq; ſiderum curſus, in æterna illa cœli conuexitate metiatur. Vale Pridie nonas Iulias.

Laura Cereta: Petro Serinæ Conſorti. S.
Epiſt. VI.

FVneſtam orbitatem tuam ſuper immatura morte Nicolai adeo præ te fers, vt inter obortas lacrymas, quaſi te perditum eas, & iam viuendi ſpes omnis videatur animo depulſa. Num memoratiſſimum Te, & fortiſſimum fortè præterit, quòd mori omnibus ita natura deſtinat, vt boni ſoli bona morte fungantur? An etiã ſi mala ſorte vixiſſet, capillos ne tu ſcindere, & clamare, aut tundere pectus alieno in funere conduceris? Num oblitum Te granditatis illius animi tui miſella crediderim, qua ſub exitialibus annis vidiſti tenellus adhuc laborare famıliam tuam, tabida peſte ruentem? Velim

ipsa iam, atq; oro, quia tempus est, vt restituas te tibi, qui maiore officio obstringeris mihi, quàm mortuo. Vir enim atq; Vxor eatenus mutuo se amant, vt nullo æuo ab amore declinent. Erue igitur te tandem his fletibus, quibus tam acerbe, tam acriter tangeris, ne aut indicere bellum tibi, aut lege Iulia, in Deos, animarum fures, repetundarum agere videaris. Reminisci debes, quòd etiam si Nicolao te fata donarent, esses tamen carior multo mihi, quàm illi, velut qui iam sumus, erimusq; semper vnius animæ Duo. xvi. Kal. Aug.

Francisco Prandono I.C. Laura Cer. S. Epist. VII.

PEtrum Serinam, Virum, absentem inter præsentes curas humaniter ipsa tibi quantum possum, suppliciterq; commendo. Is enim hinc ad Venetos facessens, pro numerato dotis argento, syngraphi signaturam omnem prospicienter explorandam examini tuo reliquit. Verùm sollicitus incumbenti mihi huius indulgentiæ credidit curam.


Hanc

Hanc igitur vt c:ntoculus singulis impedimentis passim expurges, rogatum te admodum volo, ne jejunior fortassis opinio Mariti ab spe Vxoria diuersum teneat quicquam. Non habet me falsam tua comis humanitas. Noui dudum teneritudinem tuam in tuos. Scio non dedignaberis orata filiolæ. Fac sciam nostri gratia quid egeris, quod sine vigilantia non scire non possum. Vale. Pridie Idus. Sept.

Petro Serinæ. Laura Cereta. S.
Epist. VIII.

AGis me socordiæ, & ream aggrederis longi silentii, velut quę ad extraneos scribens, Te præterierim solum, tanquam oblita; quum potius præ cæteris doctis honoratum tibi gradũ ascribam, à quo quamquam pro honore tuo quidquid habeo doctrinæ suscepisse me glorier, ad hæc tamen pro aliqua excusatione Epistolaria blandimenta non dederim, ne forte impunitatis spes vlla possit esse peccanti. Semper enim blandimentorum auceps fallendæ amicitiæ

retia diſtendit. Sola igitur veniæ mihi fomes eſt innocentia; Innocentiæ verò incentiuum eſt Iudex; neq; enim debeo abſq; Iudice ab abſente deferri, quum videatur contra eum, qui abſit, inſimulatio ſuſpecta; aliter enim poſſent incuſari vel Dei: ſic accuſatio tua crimen accuſati requirit, neq; in cauſa confirmatione teſtium opus eſt, aut argumento probandi. Silentii admiſſum hoc ipſa non inficior, modò, qui me accuſet, actor ipſe compareat. Hæc non eſt longius protrahenda cognitio: Cauſam alii à ſubſelliis ad roſtra deferant: Acquieſcemus nos ipſi primo judicio, quum præſertim communis nobis pater ſit Iudex, qui vt eſt vel ante Athenarum Areopagitas integer, non ſuorum cauſa dijudicat, ſed omnium. Venies igitur, ſi juſtè me arguis, neq; bidui præteribis terminum, quod vltimum tibi medio foro preconius clangor inſtituit. Vale. Pridie idus. Iul.



Fran-

Francisco Prandono I.C. Laura Cereta. S. Epist. IX.

INstat nunc proximus Mariti remigrantis aduentus: instat vel proximior corporis mei culpatio, ni adeo preces ad te meas pro chartis iure suo, suisq; viribus integrandis admiseris, vt ille in reditu suo id probe exoratum inueniat, quod me, pro credita rei prouintia, oraturam esse fidebat. Hoc si nega ueris, quod habes in plena manu promptissimũ, quibusnam auspiciis ea sperabo, quæ fractum labore corpus die noctuq; fatigant? Non est humanitatis tuę largitas nobis abscõdita, quę cõmodis etiã proprię vtilitatis irata, consueuit vel ignotis, pro facultate, prodesse. Dicam nunc inuita, quod mihi non minùs animum tangit fortè, quàm tibi: Sororium tuum, atq; Sororem sub octaua iam luce febrium tenet immanitas. Vale. Claris. Quarto Idus Septembres.

Laura Cereta Petro Serinæ Viro suo S. Epist. X.

DIi meliores, quibus innocentiam tueri datum est, ad quos nam mores, ad quæ tempora nascituram me hæc ferrea sęculi vicissitudo seruauit! vt siue sileam, siue scribam mox probro mihi & reticentiæ dentur, & litteræ. Ego quo scopulo iste ventus erumpat parum assequor. At si tamen, judice te, silentium est sermone rusticius, hoc mihi medium superest, vt de hinc, vix alleuatis labiis insusurrem. Nam, quando fari redarguebat me pudor ille virgineus, iubebas, hortabaris ipse me sæpe trepidulam, vellem tandem à perfusa formidine pectus eximere: nunc autem vel secura sermonis à culpa non absum, velut argumento cauilleris, quòd vel taceam irata, vel loquar impulsa, quum neutrum veritatis facies admittat. Consultò hæc à te forte adinuenta sunt, vt dubio velo dubiores undas inter Scyllam Charybdimq; subremigem. Hæc dolore prorius atq; lacrymis res digna est, quæ

me

me deinceps absumat, & rodat. Sic gratulabor tibi Vir, vitâ mihi carior, quòd auectus hinc Venetias migraueris, relictâ mihi materiâ plorandi. Sed hoc mihi perpulchrè, oportunèq; contingit, vt ipsa quoq; parere cogar Tempori, atq; Fortunæ, quam, ni catholica fide prohiberer, ego Deam, omnipotentemq; vocarem. Vale xj. cal. Aug.

Laura Cereta. Veronicæ, Matri. S.
Epist. XI.

FOelix nimium ad limites, atq; albo lapillo numeranda lux, qua perfusæ gaudio pulchrescentia illa floribus prata, & glareis, circumlabētibusq; riuis ornata lustrauimus. Concinebant illic sub radiis matutini Solis aues garrulæ. Venere vel obuiam cantilantes biforis auenis, atq; arundinibus agrestes, qui innexi vincula scirpea, vt primum curru descendimus, cogebant oues alii, atq; alii vbera distenta premebant. Tunc passim venientis armenti mugitibus arua replentur: Stabant autem horto medio tenta tentoria, gibbosa puella patriis quibusdam fabulis

dulci

dulci cantu aures mulcebat; & vbi canoris mox respondebant fidibus numeri, Threicio & digiti pulsabant pectine voces; Sic indulgebant choreis plaudentes illius plebeculæ pedes, quos, vel saltuantes, timpana buxusq; vocabant. Ibi salicum albicantium nemorosa syluula amœna densius sub opacitate frondebat. Idaliæ ibi Cytheræq; lucus, sub quo non Dryades solùm gratis vmbris, sed volupe vel ipsæ possint Nayades, Napeæq; fruisci: Visebatur enim quaquauersum, deliciæ meæ, viriditas. Sic lepidè atq; lautè ciuiles animos ruralis affectus implebat: Implesset tamen vrbaniùs, si totiens in Saturnalibus perquisita, conclamataq; venisses. Vale. Nonis. Sep.

Laura Cereta. Angelo Capello. S.
Epist. XII.

Miraberis, certo scio, quòd adolescentula, pauculis superimbuta litterulis, hæc ad Te, ingenio magno præditum, sim ausa describere, quæ vel excellentes doctrinâ siderum viros ab temporum deterruere

mo-

momentis: sed suasit mihi Tua virtus hoc animi habere, & securos stimulos ad huius errorem Tua mihi dedit humanitas, tanq; is, qui jure excusatam habeas hanc sciendi cupiditatem; quæ apud me non est cognitione ætatis suę contenta. Aemulor enim, nec possum opinioni satiari, ad perdiscendam corporum Cœlestium disciplinam, vt non dicam Naturam modò, sed aurigam naturę Deum, altiùs velim agnoscere. Tantum est humani intellectus desiderium, tantus ardor, tanta intus anxietas. Ego propterea etiam si iudicii nihil habeam, hæc ad Te, litteraturæ Colonum, ita scripsi, vt mendarum mearum ramos ac frondes abvmbrâ, & opacitate ruditatis excutias. Digessi igitur his chartis, quid nam sub octauo Calendas Iulias agant venti, quæue nubes cogantur spissius, & qui nimbus decidat præceps, aut qui Apollinis radii dubio sub cœlo coruscent; Vt me puellam adhuc, & Epistola, & oculis charitatis agnoscas; vtq; nos, qui rusticationis gratiâ vrbicas ædes exuimus, florea tunc prædiorum prata, muscosósq; riuos, atq; coctas solibus messes, & duros agrestes, frumenta tu-

euntes, in herbida tua illa ſub diuo viriditate mirentur. Ibimus (ſi duxeris) & redibit nobis, ne dubita, uel aeris, vel animi tranquilla ſerenitas. Falcifer igitur Planetarum ille Senex hac ea die Occidentalis retrogradus, & in ſua frigiditate & ſiccitate terreus, ad Boream deſcendens, erit in Auge, ac ſiccitate ignei Sagittarii ſub gradu quinto nonæ domus cadentis in figura cœleſti. At Iuppiter ad oppoſitionem Phœbi retro procedens, & ad Septentrionem declinans, velut in naturali caliditate & humiditate aerius, in decima domo apud angulum medii cœli, & procul à caſu ſuo gradibus nouem, ſub terrei frigidiq; Capricorni gradu ſexto contrarius migrabit, pluuiæ fortè guttulas (niſi impeditus) vrinans. Mars verò ſiccus atq; igneus, à Solis æſtuoſa conjunctione recedens, & ſub angulo Orientis directè ad auſtrum accellerãs, in Triplicitate Arietis Domus ſuæ ad tertium iam ſigni gradum ſub radiis ſerenitatis accedet. Sol autem ad quartæ domus angulum terreum directus, & in ſuo ſicco peruſtus, in frigidum atq; humidum vndecimi gradus Cancri prœliabitur, ante tamen exal-

tatio-


tationem Iouis in illo gradibus quattuor, & ante casum Martis gradibus decem & septem quasi completis. Ibi maximus Illustrator Orbis iste Planeta diurnum Veneris dominium, & vitalem domum Cancri tenebit, qui quum Stellis vna de viginti totus explendeat, tunc solum septem Stellis directus, sub fugientis trianguli figurâ fulgebit: Sed Venus per deuia post Solem ad occasum oberrans retrograda, septem Aquilonis Triones aspiciet, & in calido atq; humido generatiuo aeria in Geminorum Auge meabit ad tertium decimum gradum, in Triplicitatis congermana complexione cum signo, non tamen sine aliquo motu ventorum. Ita Mercurius, ad Boreæ lineam directus, Solis ortum sequetur in septimo grado quintę domus succedentis, atq; ignei Leonis complexionem siccam ad communem conuenientiam per suffocationes aeris trahet. Luna demum à globo terræ eminentissima, ac in suo frigore & humido aquatica, ab ardentis Arietis siccitate temperabitur sub quarto gradu primæ domus orbiculatæ figuræ, vbi gratas nobis locorum mutationes infundet; quamquam

tunc Caput Draconis in Piscibus auaram fortunam importet. Itaq; inter distantias aspectuum, & Linearum cœlestium huius diei Luna, nubes polo croceas spargens, in quarto laborabit ad Solem, fortunatam demonstrante meridiem: erit & in quarto ad Iouem, alto laxantem aliquos ventos: Erit vel in Trino ad Mercurium, & Saturnum, rura colentem, atq; in sextili ad Venerem, ibi sexui nostro oblandientem in campis. Verum Solis, & Planetarum inter se vacuus prorsus curret omnis aspectus: Sed erit significatio huius diei sub vndecimo gradu Cancri, Azamena, eritq; Terminus Veneris, atq; facies Mercurii, ac Sexus fœmininus, & qualitas lucida, lucem sub primis Vesperis omnino promittens. Quare quamuis ad Planetas erraticos non omnino signa in obliquo circulo pro diei claritate concordent, plures tamē & majores dignitates ad serenitatem, quàm ad imbrium portas accedent, maximè verò quum ista dies vix quinque minutis secundum Græcos ab æstiuali solstitio ceciderit. Vale. Nonis Iuniis.

Dianæ Ceretæ: Lauræ Soror. S.p.d.
Epiſt. XIII.

HEri, & nudius tertius vnas atq; alteras litteras tuas deſiderio expectatiore ſuſcepi; at ſpei longę fructus modicos lectiuncula breuis excuſſit. In his enim tu me frondentem nunc Laurum effingis, nunc Apollinis Sororem appellas, quum potiùs inter delectas arbores tenerrima ſurgam arbuſcula, & vix dicar inter Muſas, Apollinea Pica. Tu propterea, dic quæſo, vndenam pollet in me ingenii tanta fœlicitas? aut ex quo argumento conjicis has fabulas? Fabuloſa (non te præterit) audiuntur negligentiùs à doctis, quos ſemper pro maiore ſapientia, veritatis delectat examen. Quid abſonum cogitatu putas, ſi quæ de me prædicas, ea ore meo, per organum tuæ vocis, judicentur eſſe prolata? Ego mihi conſcia ſum, me tantæ laudis eſſe non dignam: Quòd ſi fortè dignarer, ſunt tamen multi, qui veriſimilia non credant. Timendæ quidem ſuſpitiones, vel falſæ omnino ſunt. Parce igitur poſthac de me

ferre tanta præconia : ne aut in Sorores pejerare Castalides, aut cupide te nimis in meam gloriam habere videaris. Scis tute ipsa, non ambigo, quòd erroris tui causæ in me vltrò redirent, si judicarer id falsò amare, quod probas. Fallitur tunc maximè (ne dubita) noster animus, quando ad corrupta desideria, ceu tractus sine auriga currus, fertur in præceps. hinc oro Te, Soror, vt segnius ad honores acceleres. Maioris enim roboris sunt, quæ seriùs, quàm quæ citiùs exurgunt; Nulla nanq; potest sine industriæ temperamento laudari celeritas: Quippe qui dulcioribus judiciis hominum delectantur, hi sæpe vel fictæ virtutis vmbris illusi, vel aduersis casibus fracti, ridiculam turpidinem falsitatis incurrunt. Studiorum itaq; delectatio non debet extollentiæ premio, sed virtutis causa fatigari. Nimium satis arbitror, quòd doctrinæ viam ingressi, sapientiæ sibi sunt vendicatores & gloriæ. Vale. cal. Iuliis.



Alberto de Albertis I.C. Laura Cereta. S.
Epist. XIV.

SVspicabar, & nunc auguror, imò fortè scio, quid irarum tibi reticentiæ meæ succenderint: Quandoquidem neque me hactenus de inuiso silentio reprehenderis, neq; pœnitenti mihi verbum vel vllum de confesso errore reddideris; quasi Te adeo charitatis paternæ pœniteat, vt indefensam me duriter à promissa filiatione pepuleris. Hoc quamquam iustum tibi, atq; honestum forte videatur, habes tamen de officiis hanc legem, vt tardiùs amicitiam ingrediaris; ingressam verò cures, studioq; defendas. Indignũ est enim de eo pejora sentire, cuius amicitiam ante probaueris, quum feratur in præcognitum nostra voluntas. Iam Tu scire debes, quomodo hanc ipsa volens non patrauerim culpam, sed loci potiùs, atq; temporis, negociosa necessitas. Ego igitur si pro tua virtute tui tantum studeo, Si vel tu mihi es intuitu patris amicior, quantumnam errato meo anteferri debet vetus pietatis illa reli-

gio, quæ, paterni pueritii fibris enixa, ad robur tecum virilitatis excreuit? Si te non miseret Turni, miserefce vltrò lacrymis Dauni, & vincat inuictum animum tuum vendicatrix gloriæ clementia. Ah non debet generosa mens, tantum furori concedere, vt destinati propositi duricies orantem ab ignoscentia propellat. Hodie, ad prostratas voces meas si pacatior indignatio tua refrixerit, hæc presto erit mihi pœna, quam sponte pro iniuria feram, vt longas, & plurimas ad Te quam primùm Epistolas mittam. Vale. Idibus Octobris.

Laura Cereta. Petro Stellæ. S.
Epist. XV.

IAm medium abactæ noctis Luna tenebat, quando semisomnes oculi, & sopita mēs, hallucinantiq; similis calamus mandabat litteris eam, quam ad Te scripsi nuper, epistolam: Quare vlla Te admiratio non habeat, si me dormitantis erroris, vel frequens menda deluserit. Hinc ignosces sopitæ celeritati, non mihi. Verùm perhumanæ professionis

nis

nis ſtudia Te hortor, vt nulli priùs hanc ipſam perferendam litterulam oſtendas, quàm minutatim in particulas mille depexeris. Scio autem non dedignaberis id mei gratia feciſſe, quod vltrò faciundum ipſa Te docet humanitas. Vale. Decimo Cal. Octobres.

Laura Cereta. Io. Oliuerio, Grammaticos. S.
Epiſt. XVI.

CLeopatræ lautiſſimas cœnas pridianis ſolennibus refertæ menſæ viciſſent, ſi conſediſſent. L. Plancus, & M. Antonius Reginæ commenſales apud Ægyptum; Nec ceſſerim tamen his Cõſularibus Viris, quum Tu alter Apollo ſederis inter Muſas, vt eram' nouem. Erat Xenocraticæ Academiæ inſtar apparatus tuus, & Platonicum iſtic mihi videbar intueri Sympoſium, vbi frequens ſcatebat illa formicatio ſcholarium, qui circunundiq; nitido & accurato tapetes inſtrauerant, opſonia viciſſim, atq; dapes vltro citroq; geſtantes. Aderant infuſi tot figuratis flatu cyathis Parnaſſi latices ex murano

cryſtallino fulgentes: Nec recenſuerim nobilius vinum, quod phialæ ex inſulis Chio, vel Lesbo monſtrabant, quum ſteterit Romana lex contra mulieres, ne vinum, terræ ſanguinem, biberent; licèt tàmen ſine culpa vtatur temperata ſapiens potu ciboq; pretioſo. Dedit primùm & Ficus tua primitias, neſcio an hyrcanę, chalcidicęue fuerint, an rhodię, ſed tempeſtiuo certè flore, & ſuauibus granulis intro perdulces; neq; his ſibi fortè ſiccauit Liuia Pompeja meliores: His additus eſt pumicoſus, ac leuis ſpõgioſis fiſtulis panis, quem farina candidior, atq; ex cribro excuſſorio ſtipatius percolata formauerat. Sequuntur Columbæ, pudicitiâ & fide conjugii notabiles, atq; item breuioris vitæ paſſeres, opima nec non Deorum placatio vitulus, & gallinę, Deliaco rcor carceri ſaginatæ, quas hinc lebes, inde veru, contra C. Fannii interdictum, miniſtrauit opiparè. Condiebant hæc mauritanæ citri, & ceraſorum acida illa maturitas, dulcedini mixta, quam Italiæ infelix bellum Mithridatis inuexit. Poſt hæc gratius epulum elargitur, quod intra neruoſas carnes juris conglaciauerat gelu. Medio

ecce fumat torta, croco, lacte, atq; ouis intorta: hac amotâ venere cadi, quos coagulata densitas concreti lactis impleuerat, sed illo fortè dulcius, quo Zeroastres tot annis in Bactriæ deserto victitasse perhibetur. Ornauerunt deinde omnia exiles illi pinearum nuclei, grato zuchari adulterio celati; Nec defuere demum Auellanę, quæ possent macris ad pinguedinem opportunè conferre. Hæc etsi delicata sint, omnium tamen primam gloriam Consorti tuæ dederim, vt est in omnibus vigil, & ingeniosæ sollertiæ. Nollem tamen pro honore tuo, venisset arbiter Cyneas his sumptibus, cujus monitu ego Te hortor, vt largitatem tuam dehinc frugalitate sic temperes, quo venientem M. Curii ventrem, non Sardanapali gulam expectes. Vale. Idibus Iuniis.

Clementi Longulo, Grammatico Laura Cer. S. Epist. XVII.

CAto, & Socraticus Xenophon concordem hac legē omnino tulere, vt dicturi considerent, ne cogitationem lingua præ-

currat. Hinc ego non ἀλληγορικῶς, neq; τροπολογικῶς, aut ex ſtomacho, ſed aperte atque humaniter, quæ de te ferantur, expoſui, Siue illa teſtes φιλαλήθεις inuenerint, ſiue δυσχέρεις, καὶ χαλεποὺς culpatores habuerint: Quanquam tamē ſemper defamatores odio non minùs, quàm adulatores habuerim, quippe quod vtrique pariter credentibus injuriantur. Sed nugatorium obſtrepant impii. Ego te virum probum, & ſcientem, inter liberaliter inſtitutos, exiſtimo. Tu ab opinione, quam habes de me, ne longiùs aberra. Vale. Pridie cal. Nouemb.

Laura Cereta. Syluestro Genitori. S.
Epiſt. XVIII.

VIx recens cōmigraueram Claras, quòd intentim ad me ſe recepit vulgus indoctum, & repentina neſcio qua doctrina præditi quidam, quos de litterâria cognitione mea (quotula tamen illa eſt) inuidentiæ ægritudo ſuſceperat. Horum conſputus liuor quamuis ad cholerā ſtomachari me fecerit interdum, non ſum adeo tamen agreſtis, vt

eos

eos ab vicissitudine scribendi rejiciendos existimem, qui me, vel precario chirographo compellatam, ad epistolare certamen asciscunt. Noui ego infrontes æmulos, qui, postquam vltra fidem majus à me fortè aliquid, antiquiusq; susceperint, nullum habent causatius colludium, quàm vt de ingenii celeritate illâ jactent, qua ignauiores litteras meas subitariis ad me litteris suis inauspicato properanterq; præcursitent, quasi velint repentinum antistare integritati pensatæ. hi velut alti quidam Alcestides Euripidis morã illam, maturatos versus æternantem, incusant: Ingenii verò sui celeritatem, mox cuncta euolantem, extollunt, quum suamet illa scripta, vt passim effundũtur, ita passim euanescant, futilius, insulsiùsq; neglecta. His autem inanibus grammaticulis hoc propterea pœnitentiæ solum euenit, quia pudet eos illud à me ignitabulum excitasse dicendi, quo jure perpendant vacuam animositatem suam non posse cum oratorum opinione conferri: Hinc vesicariâ tumescentiâ sufflati, crebrò se se excusationum rotatu volutant, & tanquam faces incendii venena maledicentiæ decla-

mant.

mant. Sed abdirent se se clanculo curiosiores indocti sub cæcis insidiis: Non est ingenii nostri in rasitatis falce pratis occulere. Vidisti plurima ipse tu scripta, quæ miserint. Habe vel hanc censor biduanam Epistolam, quam horariæ Epistolæ meæ contra iactantiam eorum ipse componas, vt liquidiùs ex opposito stili proportio resurgat: Sic facilè inter vtranq; cognosces, quum presertim ex vna materia vno sibi sub argumento respondeant. Vale. cal. Februariis.

Michaeli Baeto Physico. Laura Cereta. S. Epist. XXI.

EGo dudum abs te lętos rerum prouentus, quibus feraciùs amnes proflui, atq; aeriæ volucres, vberesue horti redundant, pingui quapiam largitate suscepi: jamq; rei adeo me puduit, vt quasi pertæduerit defatigatio illa donorum, quum pręsertim non ex vulgari necessitudine, sed ex virtute solâ sis nobis amicus. Amicitia namq;, beneficiorum muneribus illecta, relabitur, & turpius habetur interdum amici liberalitate, quàm

hostis

hostis injuriâ superari: Ego enim non ex tuis donis, sed ex tuâ scientiâ egregium honorem Tibi non immeritò fero, qui eas ad me litteras habuisti perhumanas, à quibus non fidei munùs, quàm scientiæ suscepi. Physicos enim fideles, ac scientes inuenire haud facilè est: sed propositi metas egredior. Ego tecum hanc legem de conditionibus munificentiæ paciscor, vt plenam manum post hac erga me, contentam paruo, cohibeas, vsquedum totidem acceperis, quot remiseris, æquâ benignitate, munuscula. Aliter enim è diuerso concurreret sibi contentio largiendi; Sic studio ęmulationis adacti, aut profundemus certatim opes attritas, aut cum notâ cupediæ vtraque ab alterutra se subtrahet manus. Vale. Pridie Idus Decemb.

Alberto de Albertis I.C. Laura Cereta. S.
Epist. XXII.

EGo licet in hoc ocio has circum villulas oberrem, peregrinatur nihilominus, tustitaturq; mecum pietatis in Te meæ sancta memoria: Nec obstat ob hoc tamen, quin

agen-

agenda ſim injuriarum, & violatę charitatis in patrem, neq; facilis excuſatu, rea, quòd nullas olim ad Te litteras dederim; Immo ſubiraſcor ipſa mihi, & puduit iampridem ſubodioſi, & tam longi ſilentii. Sed ob id non poſſum abduci; quin ſperem hoc erratum meum expiari poſſe, ſi vltroneum in hoc mihi ad tuum tribunal dixero diem, quo inter juſtos miſericordius nihil eſt, nihil humanius; quum preſertim hoc ſcribendi onus aggredi ſegnis non formidauerit manus: Eſt potiùs crimini dandum numen illud amicitiæ, quod tantum ab vtraq; parte, ſummis officiis inter Te patrem, & Parentem meum cultum eſt Huic enim in dies, vbi ad Te ſcribere niteretur, fluebat guttatim extemplo perfuſus imber oculis: Ita depoſitum ſæpe calamum reſumebat, & deponebat reſumptum ingemiſcens, ſecumq; ſuſpirans; velut qui Te perditè, afflictim q; zelaret, adeo mutua veſtri, atq; inciſa cordi teneritudo altiùs increuit. Sic ipſa noxam hanc licenter, ille violenter exercuit. Oro igitur, vt & genitorem ab injuriâ ſilentii, & genitam ab iſthac curâ velis abſoluere; quum præſertim ad poteſta-


testatem Iudicis à mutâ sit reuocatio, inspe-ctâ causâ vel delicti, vel rei. quòd si rem ip-sam enucleatè pensaueris, fies quanto gran-dior, tanto ignoscentior; nec me tamen re-cipies in fidem, à qua nunq; descriuerim, sed in hoc potiùs rusticano tugurio culpæ meæ rusticitatis ignosces: tametsi villaticæ plebis hujus facietas jam tenere me cœperit, vbi via, & angiportus omnis ruderibus sterquili-nioq; repletur: Hic enim in conspectu atti-guæ visuntur testes, hic scandulares casulæ pastorum: hic duri agrestes alii greges agunt, alii cogunt armenta, hinc currus ducitur; in-de in equos obstrepit agaso: huic obsitæ squa-lore vestes sunt, ille detritus jam atq; horri-dus laboribus riget; Multi rurestres mores, pleriq; verò degeneres loquelas exercent. So-la nobis inter calores respiratio muscarium. Vale. Tertio nonas Febr.

Laura Cereta. Constantio Bon. S.
Epist. XXIII.

ALterna gratificandi vicissitudo à mu-tuo certamine munerum me nuper

ab-

abſterruit; Eſt enim in liberalitate pari perquam impar effectus. Nam quanto magis Tecum de largitate contendo, tanto fortiùs meas vires meis viribus tondo. Vincor namq; ita inter experimēta largiendi, vt omnis mea largitas in conſpectu munificentiæ tuæ euaneſcat. Sic probitas probitate conteritur. Hinc inſtitui ampliùs nō aggredi tecum hęc pręlia donandi; maximè verò quum amicitiæ lex omni penitus vtilitatis ſit expers. Neq; enim mercenaria eſt charitas, quæ non fructu, ſed liberâ voluntate nutritur. Viciſti me, fateor, ſed velim tamen ab hoc genere victoriæ, cum pro honore meo, tum verò pro tuâ vtilitate deſiſtas. Quæſo ſi omnia in medium habent amici, quid confert mihi è ſummâ rerum habere minimam partem? Omnia Amor eſt. Ego tanti Te facio, quanti eſt Amor. Tu inter cariores me habe cariſſimam. Vale. Nonis Sept.



Ad Regium Oratorem Franciſcum Fontanam. Lauræ Ceretæ Execratio contra Fortunam. Epiſt. XXIV.

LOcauere Majores noſtri cœlo Fortunã, & illi Romæ templum inter Tyberim Ianiculumq; fundârunt. Huic vltrici Rhamnyenſes gladio cæſim aduenas in Euboea litârunt, antequam collatis ſignis aduerſum hoſtes exirent. Hanc & Alexander, quando in bello Perſico Darium fudit, capiti galeato portauit inſculptam, & credidit hoſtes ex illius toruæ imaginis aſpectu fugaſſe. Non eſt apud me admiratione res digna, quòd decepti gentiles ſuum quique conſilium in ſuâ fide tenuerint; Sed neq; ſine contemptu & irriſu chriſtianorum eſt, quòd hoc erutum ex abyſſo tenebrarum Numen in aduerſis ita formident, vt illud teſtari videantur imperio cunctis & auctoritate præeſſe; quum hoc potiùs abſurdum ſit poetarum & inane figmentum, cui primas citra Dæmonem debemus habere blaſphemias. Nec vlla omnino ratio poteſt adduci, quin ludibria aduerſus For-

tunam

tunam hanc omnes, omni cum indignatione, paremus, Aduersatur enim illa nobis, & profundo suæ malignitatis intuitu infert ea mala quæ ipsa non patitur. Hanc tamen auersi à Deo fecere Deam: sed hi maximè, qui peiora tulerunt, arbitrantes quòd ex eius ira vindici, & citæ in nos, & lentæ veniant offensæ. Verùm aliud, atq; aliter qui veritatem conspicantur, explorant, & retorquent, rursusque texunt causas, quibus cognosci datur hanc ipsam esse rerum euentum, qui, pro inclinatione sortis; nunc accidentibus mollissimo quodam afflatu, nunc aduerso contrastat occursu. Hæc igitur ista temporis, atq; hominum incerta mutatio incertum habet & inane subjectum, quod dubio & ambiguitate cuncta perimplicat, nimirum impellente hac, quam Fortunam appellamus. Senior ille Hannibal à Diulio apud Liparam nauali congressione cōteritur, atq; huic subrogatus Hano, à Cornelio in mari Corsico fusus, cultro confoditur: At Regulus, qui Hamylcharem, & duos vicit Hasdrubales, à Xantippo Lacedæmone catenatus interiit. Dum verò Mauritaniam popularetur Ha-

mylchar,

mylchar, Cotta exercuit enses in Pœnos: Et quemadmodum Magonem Scipionis frater in Hispaniâ deuicit, sic alter Hannibal, post fusum Fuluium, Marcellum Crispinumq; transegit: Non aliter Fabius Max. Chartalonem cruento prœlio bellauit. Sic alius Hasdrubal, in Hispaniâ à Scipione superatus; apud Alpes postmodum Cannensi quasi clade spirauit. Sic Consul Claudius Romanam Classem ad Drepani portum amisit; cujus & reliquũ postea C. Iunius naufragio in profundum ferri conspexit: Nec minùs infœliciter egit in Hispaniâ Sempronius, quàm hosti cessit in Hetruriâ Marcellus. Sanè Pœnorum tametsi quingentæ naues igne Romano in conspectu dirutæ jam Ciuitatis exarserint; Romani tamen quinquies nauali prœlio fœlices, exinanitâ demum classe manserunt absumpti. Postquam autem Antiochus ille, ab Acilio Gabrione confusus, in Europam transiuit contra Romanos, & ipsi Romani, ad Macedoniæ se bella verterunt, Perseus Philippi filius, qui Danubio fugientes Bastheruas immerserat, ante currum agitur, ab L. Æmylio ligatus, licèt & hujus exercitus à

hostibus reportauit maximam gloriam; sed gessit in Asia postmodum bellum infœlix, pro quo in Parthos exul humanitatem exuit. Contrà proscriptus Conon, quem aduersum impetiuerat bellum, ad Artaxerxen accersitus Cypro fugit, & patriam suam Athenas creditis ab hoste viribus a b jugo impendentis seruitutis exemit: Nempe nil contulit Dario formidolosus tantarum illegentium apparatus, quo post restituta Assyriam, Scythas, atque Asiam, Macedoniamq; deleuerat, quin copias illi Milciades, post multas vtrinq; cædes, abraserit. Nobile in fulminanti Cyro claret exemplum, qui quãquam repentinis incursibus, Astyagem fuderit, & Crœsum, à Scythis tamen, quos astu bellico propter Araxem cruenta strage conflixerat, cum ducentis milibus Persarum inspecato in montes circunuentu truncatur. Quis Nini non horreat durum euentum, qui à finibus Libyæ adusq; fines Italię alis victoriæ prætervolans, sagittâ demum exitialibus succis infectâ in bello contra Cyaxaren, exanimari se vidit? Quis horum, suo tempore fœlix, non mansit inglorius? Quis considerare sat posset

eorum amentiam, qui non verentur adorare fragilis hanc conditionis humane Carnificem, in quam nulla criminatio esse potest absurda? Fatigat me, fastiditq; actio contra sanguinarum hoc Idolum, quod omnium turpitudinum ignominia commaculat Satis ad argumentum videri debet, quòd non est ea, quæ nos vexat, Fortuna, sed accidens, quod super contingenti disposito vel Natura, vel Deus inclinat. Quod verò dicimus ipsi Fortunam, id ipsum omnino nihil est aliud, quàm imaginatio vani terroris, quem nobis inuexere gentiles: Sed nos dum certamus odiis, aut ingredimur vias infestas, & subjacemus casibus, immiscemurq; periculis, hæc alternancia in alterutrum mala grassantur, à quibus sub dolore, timor excitur, & ex timore Religio. Religionum autem hæc illa est, de qua pejora dici non possunt, quod isto modo conuincitur. Non erubuere Persæ pro Deo suo adorare Serpentem. Hircum, & Bouem celebrabant Ægyptii. Tauro patentârunt Hermontii. Equis Agregantini dedere munera. Heliopolitani coluere Ciconias. Quid quòd Cretes in cęrimoniis suspirabant ad Ca

pram?

pram? Ad Arietem obtulerunt Indi solennia? Non est puditum Pronebaros immolare canibus atris; neq; pœnituit infrontes Hyrpios rem diuinam stygio Diti parare; Nec visum est probro Pelasgis pro custodelâ pastoriâ, implorare Syluanum. Sic Dædalo fabro dies festos dixere Memphytæ. Sic hostias scythotauri tartareæ sacrificauere Megeræ. Sic noto crudelitate Marti delubra posuere Thraces. Siç Bryarçço gentiuoro leuârunt altaria Titanes. Demiror autem vndecunq; sollicita, quòd Romani,in mores religionemq; spectati, furi Caco, atq; ebrio Baccho,& Veneri, & Floræ, atq; Accæ, impudicis fœminis instituerint ludos. Vanus quippe cultus iste gentilium, qui Bruta, quiue Dæmona, & inquinatos homines crediderint in cœlum esse translatos: Sed vanior multo, nostra credulitas, quæ de Fortunæ imaginario quodam nomine, certum sibi Numen obseruat, quum satiùs Fortuna sit nihil, & nihilo vilius esse nil possito. In hanc omnis theologorum schola declamat. hæc ista ex merito contemptu in obliuionem philosophię defluxit. & quamquam confutati Epicuri, atq; Euripidis in er-
 rorem

rorem ſuum illa reuoluatur enormitas, qua, Deo Mundi curam eſſe negantes, omnia fortuitu & contingenti quodam euenire firmârunt; reliqui tamen omnes in Fortunam conſpuère philoſophi. Hanc Ariſtoteles nunquam admiſit, negauit Socrates, Plato contempſit. Profanant igitur ſe diro perjurio, qui inanibus Diis hanc Deam quęrentes, nullum omnino Deum habent. Hæc ego mecum recenſendo tacita, temperaui parumper flebiles queſtus, quos tantus deſtitutæ viduitatis ardor incenderat. Hinc propterea viſa ſum mederi doloribus, dum preſertim in hac mortalitate me fœminam eſſe conſidero. Non debet enim multum ſuper infortunio triſtari, qui humanorum ſtabile nihil exiſtimat. Mortalis datus erat mihi maritus: Is ſpiritum, ante diem mutuanti Deo reſtituit: Miſereri, & caſum verſare animo, poſſum, Deum vllius injurie inſimulare non poſſum; quum Dei fuerint, & mortui dies, & vita. Ille autem, in ſolio æternæ diuinitatis ſemper omnipotens, ſi non pepercit vnigenito ſuo, quid putamus miſeris nobis? Porrò defloreſcit ætas omnis, & Mors communis

eſt omnibus caſus; Sed vnus innocentis fœlix eſt obitus. Non ergo iuſtos infœlicitat Fortuna vel beat: à vicio, atq; virtute omnis in morte pendet euentus. Vale. Idibus Aprilis.

Ad Fælicem Tadinum Phyſicum. Laura Cereta, Mortis imago.
Epiſt. XXV.

SOlatrix mihi fuit Epiſtola tua, quam præ teneritudine cordis obſeſſi lacrymis priùs perfudi, quàm legi, tantus adhuc anxio pectori mœror inæſtuat. Harum vix media lectiuncula delinitis rurſus ocellis defluuia ſubminiſtrauit ad planctum: ſic fletus fletum euocabat, & duo lumina duo perſperſi fontes alluebant; quare in illa nimietate plorandi mors volitans hunc intus Spiritum monſtrifico horrore perfudit. Hæc enim ſub lacero mortalitatis palio voluta in me ringebat ora pallentia, & frendentes inuicem dentes euerberās, porrectas arcu ſagittas minaci dextra geſtabat. Tartaream inſpexi, & obſcenis vix oſſibus hærentem hanc Furiam, quæ ùt erat luce capta, & ſpiris anguium reuincta

costatim, falce atq; cote se mihi objiciebat infesta. Hoc ergo venientis imaginis subito incursu perterrita, mox sub intimis præcordiis in stuporem obrigui. Demiror impense, quin statim in conspectu figure cocytiae hæc animula, in se se restricta, refugerit. His ipsa in faucibus, atq; atro limine Mortis obsessa, nihil esse mihi posset optatius quàm si tunc contigisset oppetere. Nam qui sub ancipiti prœlio inhorrescentis Mortis Mortem retrocedentem victor inclinat, quid nam vsuræ pro vitâ ex victoriâ consequitur, nisi quòd centuplicato fœnoræ miseriæ morendi sibi casum ingeminat? Quarto Idus Augustis.

Laura Cereta. Michaeli Carrariensi, Physico. S. Epist. XXVI.

LEgi Litteras tuas tersas & graues, à quibus apud me, beniuolentia non minor, quàm vbertas efflоruit. Tu in meis, si quæ pars erit fortè cariosior, non te velim ita repente pœniteat, exciuisse puellæ; manus ad chartas, in quibus de oratore nihil est; jandudum enim posthabitis scribendi vigiliis, vnus

mihi restitit labor in luctus quem Sors improba cordi per Viri mortem inflixit. Hoc itaq; insanabili mortalitatis ictu percussa mortis semper desiderio promoueor, vt demum morte saltem immortalis efficiar, posteaquam præteriti tenere me nulla potest obliuio: Inania quippe vota mortalium, quorum vices incertas dubius vitæ dies alternat. Nunc tantum superest mihi doloris, vt omnis eloquii decursus, in salo, atq; scabritiis hæserit jejunior. Tu tamen in tantâ illa dicendi copiâ non dedignabetis hanc textam minutioribus membris Epistolam, quæ ob dercsos diu singultus ab calamo puellari consenuit. Idibus Augustis.

Alberto de Albertis Legistæ. Laura Cereta. S. Epist. XXVII.

MAgna, & preclara de Tuâ in nos amicitiâ, celebrâtur, quæ & officiâ, & tuę litteræ ad patrem manifesta vtrinque conjectatione confirmant. Illæ nanq; hinc lacteo fluuio, inde totâ ipsâ imagine obseruantiæ manantes, & monitis solari me, & persuasione

ne nituntur afflictam: sed vulneratæ mentis infirmitas adeo in præcordiis obriguit, vt hortationum restitutione aliqua leuari non possim: Discruciat enim me tacitam dolor; nec possum ex desperatâ Fortunâ non angi. Fatebor hoc, nec pudor obstabit, licèt excors forte dicar à multis, nescio an morte carior mihi vita restiterit. Fœlices nimium infantes, quibus contigit in gremio matris oppetere. Renascentibus ipsa superiuixi lamentis, & laui in perpetuis lacrymis, moriturę iuuentæ pallidam faciem. Sanè beatiores me duxerim Atlantides, quas pro Hyâ fratre laniato deflentes, in sidus credunt esse trans latas. Beata nec minùs Halcyone, quæ pro gemitibus absorpti Ceycis transiuit in Auem. Quàm possunt aptè leuare mœrores Heliades, quæ pro Phætonte delapso in Populos circa Padum vltrò frondescunt. Contentare & tu Phyllis, quę in Amygdalum pro Demophontis morâ transisti. Sat videris Lenire Scylla passiones, quando pro adamato Glauco sub scopulis Siculis latras. Sic fugit ex oculis Cyanes planctus, vbi pro raptu Proserpinæ sociæ fluxit in fontem. Sic pro refrigerio mi-


feri

ſceri ploratus Hecuba poſt amiſſos regem & regnum mutatur in Canem. Sic pari miſericordiâ Deorum Niobe pro filiis à Diana confixis in lapidem ſub longo ſingultu tandem induruit. Hei mihi, inſanabili ejulatu percuſſæ, cui optata mors imminet; atrox vita non cedit. Vtinam ſaltem pagana defungerer, poſteaquam non eſt in Chriſtianæ libertate non viuere: Forſan auxiliarentur & caſui noſtro Dii, mutatores illi formarum, tam mœſtè, ſuppliciterq; vocati. Nonis Aug.

Fœlici Tadino Phyſico. Laura Cereta. S. Epiſt. XXVIII.

HEu naſcimur, ſerpunt anni, falluntq; vices, vis morbi tandem inoccupat, laxamur in mortem, tegimur cauo marmori, fugit ad vmbras ſpiritus. Hinc inanes curæ mortaliũ, quæ ſub fugenti vitæ ſomnio falluntur incautæ. Quid mortem miſeri timemus, quæ non mortuos, ſed viuentes intorquet? Fleant potius, quibus in his viuendi moleſtiis longa dies euenit. Omnia mihi in optatiſſimi viri morte mors abſtulit. Traxiq;

ad oculos lacrymas dolor. Acerbitatis casum mei nescia complanxi: egi diu longum in gemitu: plorarunt vel corda ferrea mecum: nec potuit vnquam mens saucia mederi singultibus. Lugenda nanq; non fletu, sed ratione tolluntur. Redii postremo tamen, vt potui, & à commoti animi tanto percussu extinguere nitebar interni doloris aculeum. Posui aliquanto post lacrymas, non posui altiora suspiria. Subrisit interdum verecunda facies, dum spiritus affligerentur introrsum, adeo inter rationem & sensum regerminabat incerta confusio. Nam quamquam laniatum Hippolyti corpus ad vitam redintegrari potuerit, mens lacera tamen Apollinis sanari non potuit: Mortalius nanq; vulnus est, quod Amor, quam quod dolor incussit: Erat autem desideratissimus hic mihi nuptum ascriptus, vnus ille præter omnes, qui viuerent, optatus, & cujus vicissim redamata cultu omne animi studium deflagrabat intentius. Cal. Majis.



Alber-

Alberto de Albertis Legistæ. Laura Cereta. S. Epist. XXIX.

PRoposueram summo studio deuium hoc, atq; asperum dicendi genus ad lucis Tullianæ fastigia prouehere, nec prætermittere scientiâ quenquam ornatum, ad quem trepidula,& debito cum honore non scriberem: sed accidit heu subitarius certè nimium, & tolleratu difficilis casus, vnde sementis illa jacta est, quæ mihi funebres planctus obligamento viduitatis accumulat. Nuper enim è vitâ, non ex corde peroptatus ille mihi maritus, immo vix agnitus sponsus sub aspectu meo periit: Hunc misero luctu miserum eque pectus immugit. Sanè agit intrinsecus me dolor obsessam, nec mansit residua spes vlli cordi, quod inerme & incautum vltima ferè desperatio transfodit. Ego quippe, velut exequii victima cum mortuo in mortem acta mori passim videor nouitate morientis. Hinc querimonia, in me defleti mœroris exurgens, aggressum ex improuiso murum animi machinis acerbitatis obruerit. Quare quanquam

in di-

in digressu tuo hinc ad te flebilis scripserim, quamquam vel ad rescribendum filialis obligatio me moueat, ipsa ego tamen, à commertio studiorum abstracta, cum Musis in nullo genere niteo, nec vlla nunc cum Apolline actione distringor: Sola restitit mihi querela pro cultu. Sic aruit sub eloquio virenti calamus excisus, & solitæ in lacrymas abiere sententiæ. Eapropter non erit accusatu graue, quòd ieiunæ linguæ paupertina dos penitus ab genitu confuso ceciderit: Quis enim mentem, dolorum obsidione perstrictam, ad tersæ orationis amœnitatem adjungat? Quum ergo consulendum sit mihi pro tempore, potiùs quam scribendum, oro Te, facundiæ figuris excultum, vt frigentis Epistolæ absonus exilisq; decursus me tibi de violata tristitudine cordis excuset. Nonis Majis.

Ad Augustinũ Æmylium. Lau. Cer. deploratio. Epist. XXX.

VOueram me templo Mineruæ, & credideram Musis totum ingenium, vt deciduos, errantesq; planetas, atq; item illos, nunc

nunc statione retrogradâ, nunc verò inferiori, celerioriue cursu meantes, sub continuâ illâ orientium occultantiumq; se siderum cōuersione scrutarer. Quare quum argumentis scrupulosioribus quærerem, num Stellæ decurrenti cœlo inhærerent affixæ, & in ipso immensitatis ambitu æquidistanter circunagerentur à nobis: Indulgebam, quam maximè poteram, studio, vt agnoscerem quæ nam superiores causę, à metâ celsitudinis defluæ, venientia super nos mala cœlesti quodam illo rore conspergerent: Hinc interdum ausa sum castigare deprauatas eorum hæreses, qui agentem sub terrâ lunam, & porrectos per nubes Phœbi radios, atque inglomeratas repulsasue pluuias occurrentia prælia ventorum, sub decretorio die prænunciant. Sed ecce, infœlix heu, sub æterno funere Mariti vulgarē plorādi viā ingressā sum, in qua fidei Vxoriæ gloriam solo ipso laniatu vlulatuq; reposui. Pro incerta Sors hominum: O improuisus rerum euentus: & ò virentibus Ingeniis inimica mortalitas. Inuidit huic tranquillitati mētis Fortuna proteruior. Hæc ira, ea mihi, instabilitatis suæ iacula in pręcordia

innocentis inuexit. Hęc, vt inermi contrastaret armata, turbauit otia studendi, & coelestium vestigatas subtilitates ad lugubres planctus hac obitus injuriâ retorsit. Hoc ita q; praeacerbo vulnere, hoc animi noxio percussu vexata, reliqui delectationis omne pabulum, quo solebat vegetioris studii cura fruisci. Quid mirum, si dulces litterarum vigilias, & perquisitas rerum causas vrgente Viri morte deserui? Irrepit enim subiitq; oculos imber, qui non orbatam modò faciem, vel sollicitum pectus, sed ipsam quoque memoriam, & totum ingenium ab omni dicendi gratiâ deleuit. Pugnent igitur pro misellâ me fictitii illi Dii litterarum in Deos; aut si quis inter eos conceptus liuor est, ponant hæc satiùs inter Saturnum, & Martem decernenda discrimina. Quid enim vlli istorum potest esse iuctoriæ, si furtim in puellam, irarum belliq; nesciam, arma sollicitet? Quærenda est semper ex bello gloria, non culpa. Nam sicut hosti Deus pœnam instituit; sic & insontem, ad misericordiam debet amplecti, vt sit illi infinitæ potentiæ infinita majestas pietatis affixa. Grandius nanq; Principi munus

est,

eſt venerari,quàm metu. Hoc Romani cla-riùs tunc ſanè monſtrârunt, quando,poſt ejectos Tarquinios ob violatam Lucretiam,legibus decreuerunt obedire, non Regibus. Sanè pluris ſolet fides in Regem, quàm in Tyrannum formido cenſeri. Hæc ego propterea de Diis, exempli loco, conſiderans, eos illos (pace loquar mali, quo angor) exoro, vt abſtineant ſaltem ab amicorũ injuriis,ne quando in affligentes cum improbis probi collatrent, & in præuenientem mortem vltrò deſperent, quam omnibus omnino natura deſtinat. Sed hæc conſternatio eſt animi, ſub paſſionum faſce jacentis. Conſidera nunc ipſe Tu, quid mihi animi, aut quid gratiæ eſſe calamo poſſit, quem palpitãtis cordis exudans cruor intingit. Expectabas, certa ſum, paupertinas litteras meas ingenio debere, & lumine eloquentiæ radiare. Habet in hoc Te deceptum opinio,& perſuaſione fallitur fides, ſiue amor illam, ſiue fama pellexerit. Nam quamquam in me de ſiti ſcientiæ ſit multum, ineſt tamẽ exili ſtilo de fonte eruditionis exiguum: Neq; enim maximum eſſe poteſt in minimo. Secundo nonas Februarias.

Lauræ Ceretæ ad Augustinum Æmylium contra muliebrem cultum Imprecatio.
Epist. XXXI.

RVri agebam solula, & in otii tranquillitate delectabar studiis humanis: at Tu interim de meo apud meos sollicitabaris aduentu, quasi magni pendere me videreris incognitam. Veni tandem febriente Marito: Hunc moribunda visi seminecem, solaui meliusculum, fleui defunctum, cècidi super cadauer exanimis, & quæ me expectabat ad nuptias, ad planctum funesta domus admisit. Sic vnus, infandusq; annus me Puellam vidit, Sponsam, Viduam, atq; omnibus Fortunæ bonis orbatam. Sortis ista, non tua fuere: nam quod tua efflagitabat humanitas, euenit. Gratias eapropter ago, quòd pluris æquo precio me facias, & anteferas in honore me, quæ talis vix possum inter Sarram & Hester, ac Sephoram Susannamq; censeri, qualis inter stellantes cœlo fulgores lucens illa noctu lampyris. Hinc satis vereor, ne oriatur hæc apud Te mea dignitas aliunde for-

tè,

tè, quàm existimatio tua metiatur. Puta visurum Te mulierculam, facie non minùs, quàm indumentis humillimam; velut quæ sum litterarum magis, quàm ornamenti studiosa. Ego quippe illi me penitus alligaui curæ virtutis, quæ non viuenti solùm, sed vel mortuæ possit omnino conferre. Sunt qui pulchritudinis ornatu capiantur: Senatoriæ potiùs castitati premium majus ipsa concesserim, quum præsertim apud formosulum juuentæ decorem illecebrarum sæpe incentiua conflagrent: At lumen venustatis honestas, & polituræ excogitatas artes, & pulchellos omnis tenerescentiæ flores exsuperat. Delectetur gemmatâ Cleopatrâ M. Antonius: Integritatem imitabor ipsa Rhebeccæ. Quærat spatiantem Helenam Paris: Elegi pudicitiam imitari Rhachelis. Falluntur nimium pompis Vxores: Delirant magis, qui pro earum appetitu patrimonia dilacerant. Hodie amore mulierum Ciuitas nostra discipula facta est, immo spoliatrix orientis. Nulla ætate prodigalior vanitatis creuit hic luxus. Ingrediantur increduli stationes Ecclesię: Conspiciant plenas matronis sedentibus nuptias:

Intueantur eas, quæ maieſtate ſuperbâ medium per plateas populum ſecant. Harum hanc, atq; illam ex alienis capillis in ſummũ verticem turritus nodus adſtringit. Huic crines in frontem vndatim criſpi dependent: Illa fuluos, vt colla denudet, auro molli ſubnectit. Hæc humero, illa brachio, iſta collo in pectus habet monile demiſſum: Aliæ gulam ſufferunt margaritarum nexu ſubſtrictam, tanquam ex liberis glorientur haberi captiuæ: Radiantes item pleræque digitos gemmis oſtendunt: Sed hæc ambitione fracti greſſus laxiore cinctura procedit: Huic intumet anguſtiore cingulo pectus arctatum: Trahunt ſericas humero tunicas aliæ: Aliæ fragrantes odoribus paliolo ſubteguntur arabico. Nec deſunt, quæ cum ſcaligeris ſuppedalibus inuerſos pelle proferant ſoccos. Eſt & peruulgatum in omnes, quòd lautiores alię ſindonicis faſciolis euincta molliùs crura ſubtexunt. Emollitum multæ premunt panem in vultum. Multæ diſtentam à rugis falsò cutem expoliunt: Sunt verò paucæ, quibus non ſanguineę facies ceruſæ candore pingantur: Aliæ alio & exquiſitiore cultu formoſiores videri

deri

deri nituntur, quàm conditor formæ dispo-
suit. Pudet irreuerentiæ quarundam, lacteas
genas ostro rubentium, quæ furtiuis ocellis,
& ridentibus buccis venenata intuentium
corda transuerberant. Proh deuorati pudo-
ris trita frons: O` curua in deliciis nostri sexus
infirmitas! Quid nam ad gentilitatem imi-
tandam restitit nobis, nisi vt ab auribus de-
fluant armillulæ, carbunculis smaragdisq;
trementes? Num ad hoc fortè gignimur, vt
nostri vultus Idolum hac impudicâ deuotio-
ne adoremus in speculo? An ob id in bapti-
smate renuntiauimus pompis, vt Christianæ
Iudeas, barbarasq; mentiamur? Erubescat
in hac cupidine excellentię fracta nimis am-
bitio. Vereantur ab hoc tanto fastu lasciua
nostri furoris ingenia, & memores cineris, ex
quo sumus, resecemus a b desideriis renascen
tes errores. Quomodo nostræ lamentationi
dabitur locus, si in misellas nos ira fortè in-
dignatioq; cœlestis excandeat? Si parant se-
curi ceruicem, qui ab Rege deficiunt, quid
mirabimur ipsæ rebelles, immo bellatrices
in Deum, si pro nostro reatu in Cenomanos
insurrexerint nubes illæ Turcorum? Plorat

etiamnunc Roma Gallorum aduentum: Flet victa Gottorum enses Italia: Nec de Mahometi tyrannide Græci lætantur. Ex alto, non ex nostris armis ingruentes clades istæ proueniunt. Consulat igitur, medeatur vnaquæq; vulneri, quo saucia languescit. Ornamenta, non lenocinia sequamur; & sic fruiscamur hac vitâ, vt recordemur nos esse mortales. Bene nanq; mori bonis proprium Deus pater instituit. Has ergo tanti splendoris glorias inanes quotiens apud nos, Augustine, cōspexeris, ætati velim, vel sexui sáltem ignoscas: Neque enim immunis est ab hoc errato nostro Natura, quæ genitricem nostram non è terrâ, vel saxo, sed ex Adæ humanitate produxit. Humanitas autem ad id, quod vel prodesse potest, vel delectari, semper inclinat. Imperfectius nos animal sumus, & pauculæ vires nostræ fortia prælia non sustinent. Vos tantæ auctoritatis supereminentissimi Viri, in quos rerum summa deuenit, & qui jure consilii tot modernos Brutos habetis, tot inter vos Curios, Fabricios, Catones, Æmylios, videte cautiùs, ne compositæ hujusmodi elegantiæ visco capiamini. Nam vbi consilium ma-

jus, major ibi culpa grauatur. Pridie Idus Februars.

Alberto de Albertis I.C. Laura Cereta. S. Epist. XXXII.

IBis, nec poterit hinc plenum virtutis tuæ nomen euelli, Immo semper apud nos tua viuet integritas, à qua tot recti præmia suscepimus: quippe qui reliquisti apud populũ eas laudes, quibus Te hæc ista ciuitas, & probat, & amat. Recedes igitur ex hoc magistratu plenus gloriâ, non auro; velut is, qui præposueris vtilitati justitiam, quæ tibi præparat sempiterna præmia vel mortuo. Sic in possessione animi tui erunt futura Tibi præsentibus certè meliora. Nonis Majis.

Ioanni Oliuerio, Grammatico. Laura Cereta. S. Epist. XXXIII.

GAllus orator, immo Astrologus ille subtilitatis immensæ, dum raptos in cælum siderum cursus, & erraticas Stellas, nunc ad Aquilonem scandentes, nunc digre-


dientes ad austrum studio scrutaretur in cœlo, inconsideratus ruit in puteum. Qudni potui & ego illiterata puella in litterarum sublapsa scrobem incidere? vbi & ipsa niterer attollentes se tractus astrorum sub immensâ poli conuexitate distinguere? Non est mihi tanti fastus ingenium, vt nunquam velim errasse. Homo sum, & humanitatem meam ab errore cognosco, qui si rarus est, emanat à fonte sapientiæ. Cal. Augustis.

Bernardino de Leno, Consobrino. Laura Cer. S. Epist. XXXIV.

SAtis ad Ludouicum Auunculum scripsisse videor, vndenam splendor auitus pictum parieti vultum, inter fixam, atque erraticam Stellam acquisiuit: Nunc vnde cœperit Familiæ cognomentum haberi, nobilitabit manifestaria cognitio. Lenum igitur ab inuentis Leonibus dictum, incisum ibi litteris marmor ostendit. Horum duo etiamnunc vel longo prospectu visuntur, qui armos iubati, erectiq; ora patula, quasi cœlum olfactent, dorso columnigero templi vestibulum susti-

nent. Prominentior, & peræque magnus ſub apparenti rugitu inſidet culmini tertius: Torua quippe nimium vniuſcujuſq; feritas, ſed eius maximè, quem ſubſtratus, intortuſq; cruribus ſerpens mordicus infeſtat. Hoc quicquid ferarum denuntiet aſpectus ignoſcibilis antiquitatis excuſatio tuetur: Monumentum tamen eſt, impenſâ regiâ digniſſimum: Regium igitur templum, Regius ille vicus, Regia tuorum ſanè Familia, quæ ab Rege animalium ſumpſit exordium. Quare quum germanam me tibi genuerit mater, inſurgit ſollicitus mihi, atq; ardens animus famâ, vnde ad perpetuitatis exemplum ſpes generoſa nutritur: Sed quum jam extinctum ſit nomen Amazonum, quumq; Belligeræ vndecunq; Mulieres arcum atq; arma templo Bellonæ reddiderint, reuocaui penitus totum animum à fœmineis curis ad litterarum amorem, à quibus velut è lacteo quodam vbere adoleuit eruditionis meæ, quotula eſt ipſa, ſubtilitas: quaſi non reſtaret aliunde mihi certum iter ad gloriam; quamquam eſſem in mediâ illâ diſcendi pueritiâ, tenerior adhuc, delicatiorq; puella. Verùm vt pluſcula creui, creuit

uit & doctrinæ major attentio, atque sensim inde sic maxima, vt reliquum ætatis quiuerit postea nunquam ingenii cultu satiari. Est enim ingenuis mentibus studiorum labor certè facillimus. Hanc impreciabilem dotem vt mihi mercarer, septennium expendi. Quis lucrosissimam gemmam alieno precio non emat? neq; enim proprium nostri tempus est, sed Solis, cum naturâ currentis. Præcox igitur huius studii seges postquam ad succiduũ flauescentis aristæ deuenit, metere cœpi olitore calamo fructus, qui securi possint ad remotas orbe gentes vltro citròq; deferri: Et quamquam hoc, qualecunq; scire meum, sit quoddam modicum nihil, velut quæ nondum secretiora documenta didicerim, scribam tamen eorum, quæ noui, non inelegans opus, quod, judice Te, possit scriptrici locum inter laudatissimos majores acquirere. Vale. Septimo Cal. Martias.



Caſſandra Veneta, Lauræ Ceretæ. S. Epiſt. XXXV.

INter ſcientiſſimos poëtas ſat conuenit ad terræ centrum procul à Deo euomentem ignes infernum abiiſſe, vbi adeuntes animas primo in limine Cerberi canes allatrant. Huc ùt ſenſibus quiete ſopitis accerſor, obuius primùm, & cruento flagello minax in faucibus orci Charon occurrit: is, refuſum ab gurgite cœnum euoluens, aditum remo & flammeis oculis innuebat ad cymbam. Dii quantus perfudit animum horror! quantus pauor oppugnatam animi virtutem eliſit! ex hoc enim Stygiæ paludis atro vapore malignus peſtis halitus exibat. Audiebantur luctifici quaquacircum gemitus, Tartareæ intonabant voces, viſebantur tricorpores vmbræ, & terrirabat omnia caligo, triſte locum opacans. Quare ex ruptâ voragine Ditis ferebant ſe, referebantq; importuniùs tremendæ illæ, nocturnæq; furiæ, nec ceſſabant furibundi manes ſub monſtrorum variis aſpectibus globos eructare flammarum. Progredior

dior acta Megeræ furentis impulsu, & quicquid vbicunq; terroris erat, obiicitur. Mox insurgit Alecto, turbinibus instincta furoris; Insurgunt Eumenides capillaceis colubris, & vittis cruentis armatæ: Mox subiit Gorgoneum caput, tot Erynnis concitatum hydris: subiere & volitantes multâ ex nocte figuræ. Cingebat autem Erebi carceres, hinc rapidus vermibus Acheron, inde Phlegethon flammis exæstuans; Sed horum vnum prorsus alueum sulphureo quodam lacu stagnabat Auernus. Hic in summoto recessu excruciatus fame sitiq; Tantalus deperibat, in refugientes vndas anhelans: Haud procul hinc Perseum horrificis lamẽtis insequebatur occœcata Medusa. Hic se immemor Lethe per Tartara intercandentibus fauillis altè fumantia præcipitat. Proxima est Cocyti rabies, lethalisq; ille sonus, vnde tridentifer Pluto sentitur, qui in Sisyphum, & proditorem Ascalaphum fremebat iratiûs. Stabat Tisipho cruenta seorsum, quæ in transeuntes animas stridentes igne faces ex aperto specu vibrabat. Hinc subire cogor recessus internos, vbi Semidei, sæuiq; Reges cum vltore

scele-

ſcelerum Rhadamantho ſedebant: Nec fari licet, quot ibi rotis intextos, & medio ferrâ diſſectos, quotue ebulienti pici ſubmerſos, & quot laceratos volucribus artus, quotq; ſaxos voluentes æternùm, viſu crudele, dinouerim. Vidi in conſpectu mille, qui caſtra rurſus expedirent ad Troiam, quiue tormenta molirentur, fundarentq; arces, è quibus oſtendebat Apollo ſe Græcis infeſtum. Vidi & Iaſonis Medeæq; artes, atq; Vlyſſis Theſeiq; diſcrimina, & tot inde ſocios illos, caſu peregrinationis amiſſos: ex quibus Palinurus Æneam, pro corporis ſui projecti ſepulturâ, rogabat. Iacebat à dexterâ reuinctis manibus Priamus, qui Iouis aram diſſectæ ceruicis cruore fœdaret. Agebatur & inter heroas ſuper Pallante atq; Patroclo funus infœlix. Sic tetigit corda pietas intueri tenellum Polydori cadauer auaris ſepeliri littoribus. Quid quod pro Euryalo defuncto deſperata mater, per igneos muros, perq; renaſcentia prodigia phanatico vlulatu currebat? Sequebantur ſcelus Hecubæ, rupta fœdera, vltiq; Duces, & in cinerem crepitantia quaquauerſum incendia. Sed excedit ſuper omnia penetratam animam

timor,

timor, vbi Thomyris inhorruit vtre cruento, ex quo cæſum Cyri ſanguinem, velut in furorem acta, ſorbebat. Sic implêrunt nigra loca latratibus Charybdis, Cyrce, ore tetro ſpumantes. Sic ob partum Thaliæ Nymphę detectum prouocabant Iuppiter & Iuno diuortia: & in Orpheum, lyrâ canentem, irreuocabilis Eurydice dolenter afflictimq; plangebat. Ibi è fumifero ſpiraculo triſtes vlulę. Harpyæq; volabant, quæ ſiccọ gutture clamoſæ in bimembres Satyros ignita roſtra figebant: Hic abiuratę ſemihominis Caci rapinæ villoſum pęctore Bryareum pro auxilio aduerſum Alcidem mugitu ex ſpeluncâ vocabant. Vehor hinc per vada feruida ad antrum, vbi Cyclopes, & Vulcanus, faber ille terribilis, ſtrepitu crebriſq; ictibus de ferreâ elementorum diſcordiâ nitebantur fulmina moliri Cœlicolis. Ex his pulſatis fractiſq; tonitruis deueni ad corneam portam, propter quam inſidens Draconi Tyreſias conſulentibus canebat oracula: acceſſi, licèt exanimata formidine monſtri, & locum viri defuncti mœſtè ſuppliciterq; popoſci: Vir ait hinc abeſt, aliena conſule regna; jam tenet

Elyſios vmbra beata locos. Hæc vbi vates reſponſa nuntiauit, cœpit vaga & fluxa mens prędiuinationis voluptate, fruiſci. Verùm ex hoc iſto portento lęuorſum ardua petens, in abruptum ignara viæ deturbor, ex quo vexata eſt experrecta terrore dormitio. Hæc igitur quamuis pertritæ fabulæ videantur, & figmenta, poëtas olentia, qui inania pro arbitratu polliciti, Deos, ac Dæmones, quoſcunque volunt, effingunt; non auſerim tamen ipſą de ordine ſomnii emendare Naturam; nec ea quidem de cauernis inferni negabo, quę vnus ferè omnium conſenſus affirmat: Ego enim communiore viâ nunc trimembris Peripateticæ differentias, nunc verò incertas probabilitates Academiæ profiteor: Nolo tantas quæſtiones definire, ſed quærere. Decernant eas majoris gloriæ cupidi: Vnum eſt mihi decretum Inſulas Beatorum velle ſcrutari, in quibus fidiſſimi conſortis illius fata, fortemq; ſedis inuenerim, quem mutuus mihi tenerrimæ charitatis affectus, vltra fidem amoris humani, conjunxerat. Hęc habui, quę ad te Venetam Caſſandram, ceu ad oraculum, conſulenda ſcriberem; neq; id prop

terea

terea quidem, quòd ſit mihi major cura ſomnii, quàm Tui: Scripſi potiùs, vt ingenii tui ſubtilitatem ſubtili materiâ tentarem. Et quamquam auara matris Naturæ conditio auariora noſtro ſexui ingenia produxit; excitabis tamen clarius tuum illud, & antiquius ingenium ad naturalium cauſarum enodia, quibus hæc inferna ſic viſerim. Scio non dedignaberis munus primum voluntati meæ largiri, ne Te fortè aut ſpræuiſſe me, aut fugiſſe laborē exiſtimem. Vale Idibus Aprilis.

Michaëli Ba Phyſico. Laura Cereta. S.
Epiſt. XXXVI.

ARithmeticen, aut Geometricen non profiteor. Quis enim crederet Puellam, aut per multiplicem ſuppartientis numeri imparilitatem indiuiſibilium atomorum ſecuiſſe partes æquales, aut immenſæ magnitudinis orbium cœleſtium lineata ſpatia, interuallatoſq; tractus ſub cadentibus figuris radiorum æquidiſtantium poſſe metiri? Scripſit, memini, Pythagoras Solare corpus octies eſſe globo terræ protenſius: ego
verò

verò gloriabor hoc impote, atq; impari nuper ingenio, per sphæricam dimensionem duplicati diametri, ad circunferentiam limbi deductam, liquidiùs inuenisse philosophum à vero, pro quartâ concurrentis centri parte, deuiasse. Verùm nunc mihi non est ista quęstio pónenda, neque vel illa, qua tantùm Sol ἰσημερινὸς ab ἀντιζώνῃ recedit: Haud enim rusticatum veni, vt tritum diu calamũ studio, sed ocii potiùs respiratione donarē. viij Id. Iul.

Laura Cereta. Clementi Longulo, Grãmatico. S. Epist. XXXVII.

STudiosissimi litterarum quotquot habent Claræ, vt primùm huc veni, omnes ad me cursim certatimq; scripsere; simultates Tu solus exercuisti aduerũ me, injustè cōceptas; neq; in vllo superbi loquētiæ, atq; elati supercilii me desiisti lacessere, quasi sub indicto bello collata in me explicaueris signa: quippe Te, visu licet ignotum, fama tamen non haberem incognitum, immo quæ Te absentem pro tuis studiis aspiciebam & alloquebar, quasi presentem: Magni pendere nanq; sa-

pientes sola naturæ me probitas edocuit. Non video autem quę te humaniter institutum irę docuerint, vt in tuam honoratricem maledicta tam inclementer immurmuraueris Clemens. Sed dices ex eo me tibi nullam æstimationem impendere, quòd ad alios omnes, non Te sim dignata conscribere, quasi aliorum peritiam pluris fecerim, quàm tuam: At neque ista quidem est, quæ videri, aut suspicari possit, causa, quòd Te posthabuerim; quum presertim hæsitaueris in eodem niet ipse silentio, dum contumax, vnus litterarum ad me dederis nihil, & sic de tuo errore me criminaris insontem, à qua tantâ voluptate expetitæ sunt litteræ tuæ, vt sæpius illas obuiis manibus exciperem: Excipiendę nanque sunt liberales artes, ex quibus virtus demonstratur, quæ perpetuos nobis immortalitatis fructus ostendit. Nec putes me adulatione vllâ blandiri, quòd tui doctrinam extollam. Debent enim docti cũ omnibus in terris, tum omni in Repub. præ cæteris honore deferri. Quæ quum ita sint, ego interdum incerta mei propter pręsentaria negotia, quibus maximè occupatur cura mulierum, fidentiùs mihi ad

hanc

hanc Epistolam plusculum tarditatis attribui, ne demum excusationis fortè materiam impolitus sermo turparet; Non autem quòd prætereundum Te vllus irascentię me dolor impelleret; Neq; enim ad omne nubilum turbatur animus constans: Feci hoc potiùs æstimationis tuæ gratiâ, velut quæ essem id litterarum datura Viro doctissimo; Nam & pater Alexandri Philippus in Boreales Scythas, non velut spernendos populos, sed cauendos potiùs, vltimis quasi bellis incanduit. Cal. Octob.

Ioanni Oliuerio, Grammatico. Laura Cereta. S. Epist. XXXVIII.

EGo quãquam non plena Deo, neq; auguriis acta Aruspicinã Tagis, vel Sibyllinos libros pro vaticinio futurorum adiuerim; irrepit cogitationi tamen illa suspicio, qua scripserim aliàs, non esse me nesciam, miraturũ Te jure merito, quòd eruditionis inops, & litterarum ignara muliercula tanti cordis essem, vt rudem, ac falce desecandam Epistolam ad Te rhetoricolam darem. Ecce quàm

aptè, quàm cōſignatè nunc illud euenit, quod prę ſcia mens inſpirauerat altiùs. Conuenit me familiariter, vt eſt quidem cunctis gratiſſima, tua Coniunx, quæ pro temporis opportunitate blandimenta ſubtexens, viſa eſt non eſſe à me diſceſſura priùs, quàm exoraret, vt vel improuiſa, etiam quidem ſi penſi nihil haberem, ad Te ſcriberem omnino: Neſcio ſi transfuga, vel exploratrix ad quantulam hanc inſtitutionem meam ſpeculatum miſſa tranſiuerit: Video tamen qualia tentamenta ſint iſta, immo, pace tua loquar, diſſimulatæ decipulæ, quarum me tacito aucupio ſub imperitiæ retibus arbitraris inuoluere, tanquam is, qui me putes abſque baculo patris cœcis luminibus aberrare vias ignotas. Magna eſt illius (ſat ſciunt docti) æſtimatio doctrinæ, & traxi, non inficior, ab tam fortibus alis quicquid habeo plumæ, ſed exiui poſtremo tamen è pullo, & volandi jam increuit adeo virtus, vt me dignata ſit altior idæ ſylua ſuſcipere. Suſcipiet breui forſan & irradians illa regio ſolaris, ad quam æuo noſtro rara phœnix acceſſit. At nunc ſinamus expolire argumentum, ne quę ore ſerio dicta ſunt,

osten-

oſtentandi ingenii gratia judicentur inuenta, ex quo inter amatores ſapientiæ, philoſophiæ videatur bellum indictum; maximè verò quum obſeruantiſſima tui, pro virtute tua Te pendam. Hæc pro tempore: alia, aliterq́; dicemus. Vale. Pridie Cal. Nouembres.

Io: Oliuerio, Grammatico Laura Cereta. S. Epiſt. XXXIX.

MEmini, neq́; obliuiſci poſſum, Helenæ Conſortis, quæ totiens nobis iſtic & manu & fronte gremium largitatis aperuit, Nec putes tui apud nos monimentum excidiſſe memoriâ, cuius fidei, atq́; humanitatis merita ſub aſpectu crebreſcunt in dies. Feruntur autem à me ſemper in oculis Hippolytus & Baſilius, ſpei tantæ duo germani, quorum alter inter ingeniorum gemmas Carbo erit, alter verò ſmaragdus, ſiue ad id me ratio moueat, ſiue charitatis ardor accendat. Nimium ſatis eſt, quod hoc ipſa mihi auguror; neq́; enim indignum ſcriptu eſt, quod mẽs diuinitus interdum futura proſpiciat. His igitur reuerentiſſimis tibi diſcipulis ſcio pro vir-

tute tua necessaria & opportuna non deerunt: Præceptoris nanq; est familiares pascere, atq; illos incolumes institutosque tueri: hoc Te summo studio curaturum mei gratiâ nil dubito, quum præsertim æternandi nominis tui curã habeã, simq; habitura semper intentiùs. Pensa ipse Tu quid acquires apud nos meriti, quidue honoris adjudicabitur Tibi, si eorum doctrinam tui operis, tuiq; conatus Tibi testem ascriueris. Sperat mecum genitor, speramus omnes ita fore, vt illi, duce te, præferant voluptati virtutem: Nec est omnino aliquid, quòd tibi patrem memoriâ beneficii sempiternâ magis obstringat, quàm si filios moribus reddideris litterisq; compositos; filiorum nanque charitas rebus cæteris optimo semper jure præponitur. At illi interea, dum student, hinc magnam sibi vtilitatem parant, inde Tibi diadema optimi præceptoris innectunt. Arua relegatus pater rustica visit: erat animus illi ad Te vel proficisci, vel saltem scriptitare, non scribere: sed dum niteretur, dum indulgeret innixiùs, mox interminabantur renascentia negotia; adeo multis impeditus est, quibus decepta hæc vita no-

stra

ſtra occupatur in terris. Vale. Calendis Auguſtis.

Hippolyto, & Baſilio de Cerete, Lauræ. Soror.
S.P.D.
Epiſt. XL.

MVlta licèt, & quæ oportuit de vobis per Epiſtolam præceptori veſtro mõſtrauerim, has tamẽ ad vos dandas neceſſarium opportunumq; cognoui; ne vlla in parte ſtetiſſe per me videatur, quo minus ingenia veſtra ſe proferant, quæ, vt ſperamus, in optimarum artium culmẽ ſunt euaſura præſtantiùs. Hortor igitur vos, atq; oro vehementer, vt dum condiſcipuli fortè alii comas, dumq; alii ad polituram ſe ſarciunt, vel à ſcholis ad jocos per deuia refuguint, ſedentue in ſtationibus ocioſi, aut dum noctem alii ſomno, alii diem futilibus ſuapte garrulitatis fabulis terũt, vos conſtanti animo ſtudia ad litteraria exurgatis ſemper vigiles, vt demum ingenii veſtri facilitas ſcientiam ſibi pro certiore poſſeſſione parturiat. Ad hoc certo adjumento vobis eſt Oliuerius, Vir ille dicendi auctoritate pre-

cipuus, qui discipulos suos in domo, in campis, in viâ, velut in scholis semper edocet. Hujus si consilio acquieueritis, scientiæ non paruæ causa vobis erit. At Vos pro tenerâ ætate quo moniti nostri via Vos ducat, quæso animo attendite. Parentem habetis, celeberrimi nominis Virum, qui in optimâ Patriâ optimis vos moribus, nominibusq; donauit. Videte ne à tot retro majoribus vestris; aut ab fide tanti præceptoris auocati, ad licentiam desciuisse dicamini: immo postea quam dedit natura vobis supra multorum ingenia præcellere, accendite nunc vltrò grandioris animi faces ad studium. Pernecessaria nanq; res est, quòd aut voluptas à magnis in Rep. viris, aut Virtus à vulgi fæce Vos segreget. Hujus autem biuii data vobis est optio. Cauete ne præceps desiderii planities majus pœnitentiæ vulnus infligat. Excelsa collium virtutis secura quies inhabitat. Valete Tertio Nonas Augusti.



Al-

Alberto de Albanis Legistæ, Laura Cereta. S. Epist. XLI.

IVnium Clarensis fori notarium, atque hominem inter suos satis egregium, velim ita commendatum habeas, vt etiàm si causæ victor esse non possit; possis saltem ipse Tu conciliare animos litigantium, velut interpres, arbiterq; concordiæ. Sic quanti me facis intelligent, quos non præterit quantum te venerer, quantum colam, ac prosequar. Vale. Calendis Sextilibus.

Fratri Thomæ Florentino, Prædicatori Laura Cereta. S. Epist. XLII.

SAcrosanctæ Virginis Matris Assumptio, præcellentiùs omni carne resurgens, qua ex hoc terrestri exilio imperatorias sexus sui primitias reportauit ad cœlum, ea illa vna consideratio est, quæ me diu sollicitam ab viis mouentis se poli, velut ab immensa dimensione deterruit; præsertim quum ducta

audi-

auditione tui, concionantis ad populum, videre visa sim paradysi Reginam, à grauibus elementis gradientem ad leues: sic passim ab aurarum spiritibus ad frigidam Lunam, ab erraticis stellis ad fixas, atq; item ab hujus altæ regionis orbibus ad separata's substantias per trium Hierarchiarum nouem ordines diuinissimi solii tribunal inscendit. Curiosiùs nanq; jampridem anxia studebam ab Helperico & Albumasar adipisci mensuras, quibus procul à singulis planetis terra relinquitur; atq; ista quãtis intermediis ab hemisphęrio torridæ Zonæ recedant, & quot stadiis alii passim sursum versus ab aliis se planetæ recipiant: à Saturno autem quot millibus passuum eatur ad sidera: tum vel in Zodiaci Spherâ integrâ quid viriũ horrida Signorum illa fata refundant, quæ per gradus æquidistantes à Cœlo nituntur auersa. Hæc omnia vestigare sum ausa, & credidi illa posse ratione ab humanis ingeniis, etiam citra docentem, intelligi. Nunc Te prædicante vidi purgatiùs quòd cœcuciens nostra cognitio in his nexibus carnis opificii Dei profundum illum ordinem speculari non potest, quo

çœle-

cœlestium corporum variata pulchritudo, distinguitur. Vale Tertio Cal. Sept.

Ad Iulianum Trosulum, Laura Cereta Consolatoria de Morte Filiola.
Epist. XLIII.

HEcubam nixus laboriosi puerperam, & conjugem semper tibi charissimam, post paritionis triduum visimus. Ibi tenerior puella tua in cunabulis vagiens, Te, tuumque nomen implorare visa est. Recens protinus aduenit obstetrix, quæ nudatum è faciis corpusculum in balnei tepidi conchâ perfudit. Stetimus circum omnes, studii jocunditate perfusæ. Stetit & vno in conspectu omnium vna tranquilitas, vbi ante nos vidimus infantiæ illum venustissimum florem, quem domestico splẽdori natum mens prædiuina crediderat. Nam quis in tanto lucro humanitatis interius gaudium fauentis animi vultu non prodat? Scrutabam summo studio generosam indolem, cæterosq; singulos artus. Rigebat crispior crinosiorq; coma flauescens, splendebat & illi decora mansuetaq; facies,

gra-

gratulabantur nobis festientes oculi, roseus inerat ori nitor immixtus, & sæpius infantilis illa puritas genarum flosculos è rubenti buccâ monstrabat. Sic innocenter ostendebat se nobis probitatis illa spes maxima, & surgebat ipsa singulis membris tota pulchella. At verò ùt balneum aëris alsit injuriâ, mox candido amicimine & picto est superinduta paliolo. Huic igitur nutrix de juuenili pectore sugenti lac præbuit. Hanc alternæ sustulimus vlnis. Huic dulcia pacis oscula ore inuiolato præfigimus. Hæc semisomnis obtentu stratorio subtegitur. Nos reticentias tenuimus, quo mitiùs illa quiesceret. Demum, resalutatione acceptâ, redditâq; matri, omnes fauentes animis loco migrauimus. Sed heu tetræ orbitatis vulnus infandum! ùt infœlix hoc lilium intercepit improuisa mortalitas, & quantum crescentis vitæ gaudia repens ægritudo momordit! Vide nunc quo rapti imparatique traducimur. Vix perannuit quòd pientissima nimium infantula, tot delicijs, tantòq; desiderio possessa, insontem animulam in manibus matris ante diem efflauit: Iacuit pallens puluinari prostrata; elata est

præ-

præcedente funeris pompâ, & loculo marmoreo immiſſum cadauer obtegitur. Sic inuident ſæpe vel nondum natis fata crudelia: Tanta eſt in rebus humanis obſcuritas, tanti genitis morbi, tanta breuis incertæq; vitæ confuſio. Agant nunc cauſas lacrymarum illi parentes, quorum optatiſſimis filiis calamitatis illa dies obuenit. Ignara ego natorum quamquam deferar miſella cruciatibus, medullitus tamen has miſeriæ infœlicioris erumnas certè non ſentio. Heu pietas! verſate hæc iſta nunc animo, & miſeremini vos ſuperſtites, quibus dulcia ſanguinis veſtri pignora ineuitabile fatum abripuit. Ciet, ne dubita, mihi lacrymas nimius animi dolor: ſed, qui nocent oculis, non medentur mortuis luctus. Affligimur inanibus deſideriis, & cruciatu mortis inopinatæ percutimur; nec eſt cui certa fides ſit ad proximam ſe horam vſque victurum. Certi nanq; nihil habet hæc improuiſa mortalitas. Hodie mitior nobis Sors noſtra blanditur, cras obſtrepit minax: alia deinceps ictu perculit, ingruit alia cædibus, alia ſæuit iratiùs. Mors omnia ſecum trahit in præceps. Hoc ſi cœlitus recogitaueris

ueris ita dispositum, temperabis parumper fletus immites, quibus iam ad sudorem vsq; desperationis anhelas. Ego tecum molestiâ & sollicitudine plena eligerem pro redimendâ filiolâ voluntariâ morte decedere: Sum enim in hac crescentis adhuc ætatis peregrinatione leuis vmbra præteriens, & aduersis ad virtutem nihil mihi sanctius esse considero. Fœlices soli, quibus mortis quies vltimas vitæ metas obiuit. Vale. Pridie Cal. Decembres.

Io: Aloysio Dandulo, Brixiæ Quæstori. Lauræ Cereta de Theutonico conflictu.
Epist. XLIV.

CRiminantur multi Germanos, quòd nouis motibus adsurgentes, obsessas Italiæ fauces nuper obsederint; nuper & in medio crescentis victoriæ, nullo impellente concesserint: quasi majus ex illo hinc furtim discessu dedecus velint, quàm gloriam ex aduentu primo, censeri. Mansi & ego aliquandiu in hac istâ sententiâ, sed fortè fallebar, & nunc contraria mihi fides est, quamquam ta-

men muliebre judicium satis infirmet rerum bellicarum fracta cognitio: exercitationis enim ingenii est id super militari causa decidere, quod per experientiam intelligere Adolescentulæ mihi non licet. Hi ergo siue populabundi, siue justo bello descenderint, castris auecti sunt tandem, tanquam animositatum illæ discordiæ, viderentur extinctæ. quare si deposuerunt arma furentia, si præsidia auocârunt oppidis captis, si à ceruicibus nostris impendentia sopiuere discrimina, quis audeat in illos, sine injuriâ liuoris maledicentias inuehere? Remigrationis causa alia forte fuit, quàm vulgus existimat. Piguit (reor) tóq; pœnituit corda Christiana vexâsse tot innocentes populos, trucidâsse tot milites, strauisse tot mœnia, contriuisse tot agros, & cruentioris prœlii magis accendisse faces ardentes. Erat enim jam in tantum animorum ibi concursum, vt & mutuis cædibus vtrinq; multi ceciderint, & curribus iam vndiq; cateruatim euectæ sit cadauerum strages. Nonne indolētis pietat s tempus erat, & in quo emolitos animos tangeret sanguis effusus? Impacati Boreales Populi sunt, quos odio non minù;:

nùs, quàm horrori habuit semper Italia, & qui artes bellicas stratagematáq; callentes, in hostium exitia furiosissimi immanesq; procurrunt. Hi tamen animo victi in patriam retrouersi redierunt, siue nostratium, siue suarum potiùs gentium vltrò miserti. Ego quæ mens, aut qui animus incaluerit hosti non quæro: Rem nudiùs liquidiùsq; pensemus. Remeauerant sedes, vnde fuerat prima profectio. vellem diutius illic mansissent: quiesceret tota prorsùs Italia, quæ parum ocii semper habuit: potirentur securitate vitæ finitimi; nec fleret anxiùs in tot captiuos, tot mortuos, ac tot gladiis, missilibusq; trajectos Cenomania suspirans. In hoc adhuc absentis hostis timore cruento, nescio an fato quodam acciderit, an pertulerint nostri grauiores iniurias, vel intulerint: Ecce iterum Theutones, nouis ad oppidum Petram rebus exciti, nouam pugnam ordiuntur: ruunt insperato circumuentu furiosi, & in collatas aduersum se equitum copias ferro passim debacchantes prœliantur. At milites consilio, atq; armis superinsignes, dum primam aciem validiùs, atq; alteram sustinent, solæ barbarorum pro

clypeis

clipeis ſtetere ceruices, ſola pro pectoribus, terga feriuntur. Inclinatio iſta fugax Italos agere predas edocuit, in quos medio ipſo ductu hoſtium cohors ſuccenturiata proſiliit, quæ ſub inſidiis inter nemorum ſilentia, latuerat. Congrediuntur, pugnant vtrinque omnes obnixiùs: Fit ſtrepitus, fit clamor ingens: extendunt ſe Itali in bifrontia cornua diducti; ita denſiùs inimici perſtricti cæduntur. Auxilij vtrinq; ſigna ex ſpeculis dantur: videt hinc Atheſis, videt inde Tridentum: Illi ex vrbe ad flumen cum quantâ poſſunt celeritate decurrunt; Noſtri verò cum equitatu firmiore vlteriores ripas projecto ponte tranſadeunt. Cœlum omne turbarum clangor vtrobiq; commiſcet: ex integro tumultuans hinc inde dimicatio formicat; Sed inter variam ancipitis pugnæ victoriam dum incertus penderet euentus, corruit heu pons ille nimis infandus, per quem ab agro alterutro ibant, redibantq; recentes militum manus: Sumunt raptim animos, ex illo caſu Germani, verùm Itali viribus magis, quàm euentu præſtantes, alii acriùs dimicant, alii ſe ſe tabulis, vel nauiculis, vndiſque credentes in

alueo decurrentis profluuii merguntur. Hic inuida nostri Fortuna miserandum hostibus spectaculum præbuit. Hic vtrobiq; omnes inuicti pari sese clade Cãnensi vicerunt. Hìc saucii, & humi vix palpitantes adhuc multi, quasi victimæ belli jugulati sunt. Hìc insepulti iacuere mille, super quos nullæ vel miserrimę dedere gemitus matres, nullæ collectos defleuere cineres. Vtroqueuersus lacrymabilis ejulauit orba torum militum vna cõquestio. Horror est recens tot obrutos, quos Athesis, fugacibus vndis in spumantia vada Padi decurrens, subter imas aquas inusque mare contorsit, quamquam tamen fluctuum impulsi vortices è tumenti gurgite eructauerint cadauera multa, multo tractu voluta. Vterq; igitur exercitus, tribus vno die conflictibus fusus, alternas vires attriuit, sed superstites hostium captiuos atq; equos reuexere cum spoliis. Nunc aliis ducibus reliquum belli commissum est: Nunc major copiarum instructus scat[illegible]escentia prœlia conclamat. Susceptæ nanq; cladis ira vindex multos ad arma conciuit: Sic regnis paratur noua pernicies: Sic strata, & tabescentia cadauera cruen-

cruentandus iterum campus expectat: Sic cœlo iratius Martis aſtrum ex prodigio venturæ cladis inardet. Dolenda ſanè, atq; prodiga ſanguis humani jactura, in qua tot vſquenunc clariſſimi Duces ſub ſplendore militari perierunt. Dolenda nec minùs injuria, qua ineluctabilem armis Italiam tot nationes exteræ ledoria turpidine belli vexârunt. Pauxillum arbitror conſilii fuit his gentibus, quę re parùm preſpectâ nō conſiderârunt Venetorum ingenia conſtantia, vireſcentes in aduerſis animos, integerrima domi conſilia, vtriuſq; militaris diſciplinę peritiam, Numataq; patrimonia nobilium: Nec ſciuere illi fidem incomparabilem ciuium, munitiones vrbium, latera murorum certè firmiſſima, & ſtabilis imperii hujus opulentiſſimas opes, quas vel inquieta diu bella Turcorum quaſſare vnquam, immo neq; minuere potuerunt. Hi ſunt inuicti principes illi Veneti, qui oppugnati expugnari non poſſunt, ſed pro opportuna offenſarum vltione tela demum in frontem inimici rejiciunt; & qui totiens non prouincias ſolùm, ſed maritimas oras claſſibus & copiarum inſtructu vaſtârunt. Honoran-

da quippe, non tentanda natio est, quæ beneficiis flectitur, non injuriis. Inest enim his consumatis, atq; inclytis animis generosa semper & insignior illa virtus, qua grande fortitudinis robur cum certitudine victoriæ gubernant. Vale. Tertio Cal. Sept.

Alberto de Albertis Legistæ. Laura Cereta. S. Epist. XLV.

VIdeor satis suasa exhortationibus tuis, quæ rationum sale non minùs, quàm exemplis lamentabile mihi latus vtrunque perstringunt: Et quamquam à pignore violati cordis nihil hac respiratione remotiùs mihi difficiliùsq; fuerit, grandior tamen & antiquior auctoritas tua hac me curarũ moles, hacq; luridâ & lugenti facie delauit, in qua collapsi hactenus deperibat animi dolor: nec propterea indignum scriptu arbitror, neq; ab re fortè fuit acerba defletę sortis illa conquestio, in cujus nimietate visa est latè dominans passio rationem auiam ad saxa desperationis allidere: sed nodosa & tenax disputatio esset in causâ. Hoc qui vsu didicere,

diju-

dijudicent: Nos aliam palęstram ingrediamur, ne studii cura vigil à litteris ad desidiam sub implexo torpore rigescat. Velim igitur posthac non indignum tibi videri, si pro consolatoriâ tuâ, tuis illis floribus ornatâ, ego ad inclyti nominis tui clarissimam gloriam vigiliæ tantundem, tantundemq; laboris impenderim. Materia quidem est ingenio fœcundiore digna, & cui stilus amplior exuperantiorq; conueniat. Habes vigilias meas, & reliquum ocii, nomini Tuo dicatum: vtinam meis illustrari, celebrariue litteris possit. At Tu, vir singularis, atq; vnica gemma, meritò satis expectas laudibus tuis eloquentiæ cõpositissimos rhetores non minùs, quàm tersos illos celebresq; poëtas, qui & cœlò possint consecrare Deos, & pro memoriâ hominum Musas Apollinemq; consulere. Omnium de Te vnus sermo est, consonumq; judicium, quod tuâ cum gloriâ in posteritatem æui sempiternam migrabit. Scripsere ante me tuas laudes scribendi arte precelebres; Scribent & ex posteris multi magniq; vates, qui quasi delphica ęstimabuntur oracula. Tu frugi ex omni parte Philosophus multa pro-

futura superstitibus edidisti, quæ vsquenunc elaboratæ eruditionis suæ gloriam exoptant. Fœlix nimium marmor illud, in quo relegendum prestantiæ tuæ carmen suspectantes populi mirabuntur: Fœlicior tua illa maxima, rectrixque vrbium integritas, recordationi semper affixa, quam nostratium Rerumpub. majores famâ famosiore concelebrant: Fœlicissima post omnia emendata facies recti cordis tui conscientia! virtutis nanq; perspicuum jubar certum ostendit in vmbrâ mortis iter ad cœlum. Erit autem operosus iste ingenii mei labor mihi facillimus, si sciero Te non paruifacere sudores meos, lucubrationesq; studiorum. Et quamquam litteralis industria nondum ad optimarum artium me limen admiserit, varia stili rudis tamen imago res suas, breuiter strictimq; distinctas, delectabiliter interdum non minùs, quàm decorè depingit. Peracrius fateor inueniri posse, quod me vincat, ingenium; sed vlla me vnquam superatam faticatione studiorum inficior. Dicam igitur, spero, si non exquisitè atq; dilucidè, elaboratè tamen & peropportune aliquid, quod pro castæ veritatis stupe-

scentiâ capiat delecterq; animos, ex quo eam nasciturj, quàm præsentes necessariò Te & admirentur, & diligant. Vale. Nono Cal. Sept.

Fratri Ludouico de la Turre, Minorum Vicario Laura Cereta. S.

Epist. XLVI.

VT maturè nuper ex Vrceis recentissima Claras adueni, Junium Antonium ad me perpropere aduolantem offendi, velut quia ea omnia, quę de me, à tuis disputata erant, anhelaret exponere, exposuit autem obsoleta quędam opinionis vestrę paradoxa, quibus commota parumper colorem variaui, vt assolent illi, quos vel indignatio, vel erubescẽtia suffudit, & quãquam id à vobis non indigne, neq; ab re interlocutum existimem, mirata sum tamen prorsus, quòd tam venerandi sapientes offensi fueritis admirationis impulsu, quasi miraculum opinati, me puellam adhuc hausisse præcepta, quibus & circa vnunquodq; contingens benedicendi scientia suadeat, & quo sese influentes Stellæ re-

ceptent, quasi tale nunquam audieritis, quod audiere multi, qui multa legerunt. Neque enim notæ mihi vni litteræ sunt, neq; probè quidem sentire eos opinor, quibus adeo contemptui sunt nostri sexus ingenia, vt fieri posse negent, quo minus solers acrimonia mulierũ nancisci queat etiã qicquid fabre excogitari potest ad litteras, nisi fortè Deum illi impotentem arbitrentur, aut auarum. Quòd si vos quoq; tenet hæc hæresis, attingite oro Sibyllarum arcana volumina: Videte sanctiones legum, quas Athenienfibus Tritonia primùm Pallas instituit: Legite multiplex carmen, quod Sappho, & proba Centona percantitant. Neq; propterea tamen hæc Veterum exempla retexui, vt velim hoc impar, atq; incapax meum ingenium cum rarissimis Fœminis vllâ paritate conferri; sed neq; hoc injuriâ tetigerim, quòd æstus atq; ardor sciendi sub ętatis tenellę decennio hãc sanctitatem inuidiæ mihi conflauit, quæ erutum à vulgo animnm ab ocio atq; torpedine tantũ abduxit, vt jam prorsus omni curâ atq; negocio soluta, vehementiùs, diuturniùsq; studerem. Traxit autem me ad hujusce libera-

beralis disciplinæ sollertiam inanis illa opinio delectabilium, qua multi falluntur, vt essent iste meæ litterulæ mihi ad nominis æternandi viaticum satis: sicut & vos cœlestium desideriis angimini, vt per pœnitentiam faciem Dei videatis, qua sub insaciabili bono Beatorum animi fruuntur. Vale. Septimo Cal. Sept.

Laura Cereta. Sanctæ Pelegrinæ. S. Epist. XLVII.

EOrum, qui de Amicitiâ scripsere, vna sententia est: illam, quoniam è fonte honestatis emergat, & præcipuam esse, & ipso jure perpetuam. Nec mirum: Ethicum est enim id vtile esse, quod honestum; vtile autem naturaliter omnes appetunt, & sic Amicitia præcipuum quid ethicè, & physicè perpetuum inter humana desideria relinquitur. Hæc examussim quum ita se habeant, hæret cogitationi stupor, & omnis intus admiratio refluctuat, vnde nã processerit quòd quum inter nos mutuæ charitatis jacta semẽtis, jamjam in radice honestatis altiùs increuerit,

uerit, ipſa tam repente, velut in arido exſuccâ, defecerit, quaſi ipſa per ſe contumax & à natura potuerit, & ab humanitate refugere. Hujus quæſtionis ad Te ſpectat enodatio, à qua tanti cultus interruptio proceſſit. Num credam, exiſtimes in blanditiis, aut muneribus Numen Amicitiæ conſiſtere? An quid fortè putaſti impetraturam Te tanto ſilentio, quod in manu non eſſet mea? Aſt ego, ſi judex aſciſcar, renuerim alterutrum, quia falſum: neq; enim aut fingitur virtus, aut mercatur; neque circa impoſſibile poteſt illa verſari. Tu ſi quid habes, quo poſſint argumentationes noſtræ refelli, id pro ſapientiâ tuâ ornatiſſimis litteris, demandes, obſecro obteſtorque. Conquieſcat tamen velim hìc omnis error, hìc omnis excuſatio faceſſat: Sola in conſpectu ſtet veritas; Hìc nanq; ita de re noſtrâ agitur, vt altera alteram doceat potiùs, quàm vincat; nam quæ poteſt amicæ in amicam eſſe victoria? Non eſt datus nobis ad diſſerendum ille locus, in quo Carneades nũc pro Stoicis, nunc contra Stoicos dubiam inextricabilemq; palæſtram ingreditur. Diſputanda eſt iſta quæſtio, non cauillanda, vt obſer-

seruantiæ nostræ sanctum fœdus, jam ictum fractumq; , sanetur, vtq; opinionum medicato languore, mox apud nos rectè sint omnia. Nimirum ego tantum tui studeo, vt preciabilius nihil mihi sit, quàm à te amatissima amicarum redamari. Sanè nihil dubito, vel si me in peccatum offendas, quin, vt es humanissima, humaniter ignoscas: optima quippe causa pietatis est, propriæ fragilitatis conditionem agnoscere. Discute igitur ex querelę controuersiâ, sententiam: nec taxetur tamen erranti minor indulgentia, quàm culpa. Quæ enim nostrum altera alteræ pœnam infligat, quam pariter cor vtrunq; non sentiat? quum mutuū liberalis scientiæ commercium sit inter ingenuos animos inseparabiliter omnino connexum? Vale. Decimo Calendas Martias.

Venerandæ Abbatissæ S. Claræ. Laura Cereta. S. Epist. XLVIII.

QVòd ex ordine Ecclesiæ in Monarcharum Matrem suffecta sis, Deo in primis gratias habeo; Tibi verò de honore con-

congratulor. Velim tamen in hoc onere suſcepto ad reddendam Deo rationem Te prępares; conſidereſq; parumper, quòd ille Adam Parentem primum Paradyſo in ſummá & perenni deliciarum amœnitate donauit; Solomon verò, & Dauid Regnum tenuere Hieruſalem; Pharaon autem, & Nabuchdonoſor Aſiæ ſceptra rexerunt. Horum quilibet vnus quo tramite à Deo donatore re ceſſerit, non Te præterit, Mater, quæ hæc pleniùs, diuinis imbuta litteris, noſtri. Stetit enim ſua pro delictis vnicuiq; punitio. Verùm nõ modò ex noſtris Hieremias, & Saul, ſed ex gentilibus quoq; Lycurgus, Empedocles, Pittacus, & Lycophron aut oblata regna recuſárunt, aut ſpone depoſuere poſſeſſa, credo altiore Dei timore permoti. Nec inficior, ob id, quin boni tantum ex virtute premium habuerint, quantum mali ſumpſerint ex renitentiá ſupplicium; eſt enim peræquè conſonum, quòd quiſq; poſt mortem ſecundum opera ſua retributionis menſuram accipiat. Hinc velim, vt rogatu & precibus meis èatenus judices filias tuas in Chriſto, vt auditura turbam diuini judicii, judicium expectes.
Non

Non sit libertas, non dignitas vlla, non vtile, non delectatio, non quies, quæ Te à timore sententiæ extra lineam religionis abducat. Vmbræ, somnium hæc ista vita est,& nostra desideria frustra sunt. Memento quia fumus ex thure Deo debetur. Vide Tu ne in aliqua dominandi vanitate tua tibi fument altaria. Cogita quo miseri hac morte traducimur, & ita viuito, vt obitus Te fœlix inueniat. Idibus Augusti.

Iacobo Basilisco. Laura Cereta. S. Epist. XLVII.

PErelegantes littere tuæ mihi redditæ sunt, quæ Epistolari quodam ornatu currentes admirationem inuasere multorum. Quid enim aliud in illarum exordio inueniri potest, nisi Tullianum? quid in narratione splendet, nisi rhetoricum? quid in epilogo nitet, nisi sententiæ, excogitata ratione castissimæ? Apte nanq; partes ipsæ suis partibus distinguuntur. Materia coloribus ornatur: Rediit demum oratio, vnde defluxit: omnia terso limatoq; stilo concordant; adeo vt accuratior exquisitior q;

tiorq; facundia & inserta tuis litteris videatur, & nata. Quarto Cal. Majas.

Laura Cereta. Alphonso Tiburtino. S. Epist. XLIX.

LItteræ tuę tametsi amici vicem repręsentent, cum tamen offensæ mentis stuporem ingenerant, à quo injuriæ non minùs, quàm indignationis accepi; maximè verò quum de meâ Lucretiâ, quæ oportuit, mihi nunciârint. Discrutior sàtis animi, quòd alteri vtriq; vnus sit sexus, non vnum ingenium; nec video, quænam possit illi probabilis esse responsio, quæ me pro vnis, & consulendis litteris, à gratia & amore suo secreuerit: Neq; enim ipsa misi quempiam ullū, aut dixi quicquam vnquam, neq; perscripsi verbum aliquod, quo jure possit ab tam dulci sorore insonti sorori mihi inuidia conflari. Iam studium, & opera mea neminem latent. Ego illa sum, quæ hanc vnam præ cæteris tanto in honore semper habui, quantum fert amicitiæ non vulgaris vera constantia; nec scio quid peccati ad illam sit nomine meo delatum:

Scit

Scit ipsa forsitan quæ aliquid ignotum mihi hinc vidit, inde tacuit: Sed non probè facit, existimo, qui nuntii secordiam pluris facit, quàm sanctitatem amici. Relegat Lucretia quæ scripsi, in quibus si quid aut probri est, aut ignominiæ, redibeat illa vnde sumpsit injurias: quòd si secus, hanc ipsa rursus ad pacem, nominis tui auctoritate, compello, in in quam non prouocauit me odium, sed reuocauit opinio: Vrit nanque me nimium offensæ expectationis acerbitas, quòd sub fallacium opinionum inani cogitatu volutet se se habitissima litteris Virgo: Neq; enim grandioris animi est subterfugere, sed comparere. At nunc ista parciùs. Hìc perinde rerum fama se habet, ac si Numam, vel Augustum haberet Italia. Scribe Tu, qui istic rumores audiantur, quidue in nostros Turcorum arma sollicitent. Vale. xiij. Cal. Augusti.

Frontoni Carito. Laura Cereta. S.
Epist. L.

QVòd scribis Eusebium legisse litteras meas, quas Patris judicauit esse, non pro-

proprias, ego vtrunq; horum, ab omni injuriâ procul esse censuerim, siue genitoris illa, vt asserit, siue meas, vt inficiatur, Tu te ipse credideris: Hujus enim judicii gloria apud me maxima est, vndecunq; illa deriuet: Nec plurimi interesse reor, vtrum eo dicar oratore genita, qui sit eloquio super cæteros dignus; an tántâ ille me gratiâ scribendi in his tam teneris annis ornatam excultamq; reddiderit. Non est Eusebius Orosio hac in parte fidelior, qui nouis quibusdam exceptiunculis in nullâ subtilitate eruditus, scrutatur, elementatimque vestigat ea videre, quæ scripsi; vt scribendi ordinem, sub litterulæ incauto fortè lapsu dormientem, aconito inuidentiæ cōmaculet. Captionum retia sunt ista, quæ liuor animi inuidiæ filis intexuit: sed obscurum est mihi, vnde lambens surrepat hæc insimulatio clandestina. Nunquam in antris mea Musa delituit: liquet omnibus meum ingenium, & serotina, non tempestiua surgit ista suspicio, quæ non metum mihi, sed majorem diligentiam adauget: Interea nanq; dum longiùs, atq; diutiùs, à Patre absum, assidua est huius calami scriptio, quæ ad scri-

bentes

bentes sæpe rescriptitat. Cæteris verò, vel deuiis, obuia occurrit ad manum. Multas igitur vtrique delatori gratias habeo, neq; inferiores illi, qui scientiorem Patrem extollit, quàm qui imperitæ filiæ nititur dediscenda monstrare. Vale. Calendis Quintilibus.

Fratri Thomæ Mediolanensi. Laura Cereta. S.
Epist. LII.

INgenioli mei sententiolas exsucca horridula interioris animi conscientia formidat, quotiens Augustinũ, atq; Hieronymum, disertissimos militãtis Ecclesiæ Monarchas, attingo. Tantum mihi ex hujusmodi lectionibus precium, tanta delectatio, tãta surgit vtilitas: Ego enim necdum eò doctrinæ, aut artis ascendi, vt discipula jure dicar illorum, quos Catholicæ scientiæ fama perennis illustrat: nam videor mihi verba singultire, non loqui, & chartas fumo, non oratione describere. Strepitus nanq;, inanisq; sonitus omnis litteratura mea est, quæ pro tenui sensu in nihilum, quasi ex atomis facta, resoluitur. Redarguere me visæ sunt litteræ tuæ, quòd

quum sæcularibus litteris tot margines, jamque tot libros impleuerim, nullum vnquam vel commetariolum de diuinis à me fuerit scriptioni mandatum, velut cui de christianâ generositate nihil incaleat. His Tu quamquam me scitè, seriòq; momorderis, auditu mihi tamen grauia, & infesta videntur: Sanè hoc impar sibi argumentum est; neq; accusatoria hæc ratio ea est, quæ me ream indefensamq; perstringat; imò niterer viâ retrorsâ, si morem tibi gererem, qui ex optato non ex sententiâ mihi consulis: neq; enim inexercitati studii est, scrutinio tentare causas occultæ Naturæ: nec quidē his contigit Deum agnoscere, quibus variis modulis solus linguę nitor effloruit; Politè namq;, & ornatè loqui non Theologi, sed oratoris est. Ego verò, quæ me puellam existimo, ceu cui neutrum aspirat, quibusnam mentis oculis, aut quo veritatis radio fulgenti penetrabo sedes illas æternas, sub quibus, tanquam sub ponderosâ mole, Thomas, & Dionysius, totq; celeberrimi nominis maiores, fatigatas dies noctésq; triuerunt? Nolo in Deum laboriosum aliquid contemplando moliri, sed credere: neque

enim

enim id mihi negocii creditum eſt, vt profundiorem ingenio prouinciam aggrediar. Porrò ineſt agnitioni cœleſtium mare magnum, cujus diſpatens eminus, & procurrens ſemper immenſitas humana circuncingit ingenia. Tranſcendat nubes Aquila, & inacceſſibilia rupium faſtigia præteruolet: Ego ſemitâ humiliore cõtenta, Saluatoris noſtri doctrinam, in Euangelio ſectabor. Lex quippe una eſt, vnumq; verbum domini, & vera virtus, quæ puriùs debent in templo noſtri Cordis eſſe diffuſa, vt ille nos amore ſuo in his motibus humanæ fragilitatis inſpiret: & ſic non ipſam me moribundam concupiſcat anima mea, ſed Deum; nempe ſi quid in me fortè præcellit, quod aſcendere me faciat in mõtem Dei Jacob; hoc mihi ab Deo patre datum eſt donum. Nos igitur miſellæ mulierculæ, quæ per nos nihil ſumus, interea dum viuimus; perplexas, inuicemque permixtas paſſiones animi cum quanta poſſumus legis obedientia conuincimus. Vna eſt præ cæteris conuerſio inclinationis ad Deum, quę in judicii, reſurrectioniſque recordatione conſiſtit. Quare quum mortalis hæc vita noſtra ſit victura

post mortem; renunciaui (& sanctius est) huic succisiræ caducæq; gloriæ, quæ terrenorum contrarietatibus plena, & nos à verâ piç fidei religione sejungit, & in superbienti altioris intelligentiæ pompâ perimplicat. Docetur posteritas omnis exemplo, quòd hæc sciendi tantâ ventositas extollētiæ subnascentis odor est, quo Serpens Euam sub Deitatis spe falsâ decepit. Optima scientiarum est vera sui cognitio: officium ergo & constantia studii nostri vna erit, vt cœlestis Regis dexterâ, auxilioq; fræta, ea attentiore cura scrutari cōtendam, quibus conditionis nostræ miseria cum humilitate calcatur. Hinc inextinguibilis fidei lampades accendentur, quarum illustrioribus radiis per hanc transeuntem vitam patebit iter ad Cœlum, vbi mortua nostra mortalitas beatâ æternitate donatur. Superiora verò sæculi calles illi sunt, qui sensibus nostris sub honorum caliganti errore tēduntur. At Tu doctior omnium mihi Præceptor, obice claustri perstrictus, qui ceu in silenti heremo Sponsum animæ Christum per pœnitentiam inquiris, fer, oro, me oculis in orationibus tuis, & recordare luctus, angorisq; mei,

cui ferè nulla resta expectatio meliorum: Nam fata immatura Viri defuncti latè adeo perdoluere mihi, vt quassata mens inter lamentabiles suspiriosi cordis ærumnas anxia refluctuet. Sed heu, sera quippe nimium illa cogitatio, quam irreuocabilis jactura castigat. Monastica non est mihi ignota securitas, ad quam renouatum animi vulnus aliquando suspirat: ob id Tu ora constantiùs; Misericordiæ nanq; Domini multæ sunt, & inuestigabiles viæ illius. Interim expectabo sollicita quid misericors Dei vnius æternitas elargiatur. Vale. Quarto Idus Septemb.

Laurentio Capreolo Brixiano. Laura Cereta. S.
Epist. LIII.

ACcusat me, nullo crimine objecto, Gismunda, & stimulo fortè simultatis impulsa hoc scire meum, licèt exsuccum, exulcerare studet ambagibus; quasi videatur vel æquales habere contemptui, vel in scientiores se augere suspectiorē inuidiam. Est enim sermonis versuta facies tegumentum sæpe cordis infirmi. Num infirmat illa firmissi-

mam fidem, quam ferè cunctis de me studii mei pernoctatio firmauit: Dii mites, vbi nũc amor, vbi inuiolata fides? vbi priscæ humanitatis feruor obdormit? Non est ampliùs inter homines frons amicitiæ, sed vmbra. Falsæ me disciplinæ illa Soror insimulat, quam ipsa totiens laudibus expoliui sanctissimis. At satis dudum aures medicatis constantiæ succis armaui, quibus infundi noxia verba non possint. Sed nõ metuit hoc mea bonitas, neq; suæ partis munus hoc fuit. Meliùs erat ancillanti interblandiri, quàm inquietare dormiẽtem. Melius & ipsa in hoc fortè posthac mihi consulam: sed metuo interea tamen, ne fortè nimium sibi credat, & citra verum enitatur aliquid, quo se arbitretur in Catonã cœlo primò delapsam euadere. Vellem hujus dignationis staret ei spes certior. Non est fundamentũ honoris injuria, sed laus; nam plurimi ex conuiciis contumeliæ labem incurrunt: ex studio autem & mansuetudine optimum sibi nomen in posteritatem acquirunt. Sed multi viam erroribus plenam sponte secuti sunt; nos propalam comparentes, veritatem sub justitię certo calle sectemur, vt

certo judicio contraria noscantur. alienum quippe à sacris legibus est, vt quis per os alterius absentem accuset, quum præsertim non vocatum nullus censor adjudicet. Scis ipse, quòd debet objectum crimen per delatorem præsente reo probari: alia nanq; fori vix est, alia cubiculi, alia plateæ. Tulit Adrianus hāc legem, qua nullus possit absq; objectu criminis & probatione damnari. Dat igitur probro Gismunda, quòd non mea, sed ejus, qui me instituit, patris credit esse quæ scripsi. Hæc dum meditarer intra memet, & rationem alloqueretur internuntia mens, obstupui, quòd illa nullo euidenti testimonio deberet sola ipsa verisimilium specie moueri. Sed hic à verisimili par militabit argumentum in ipsam, quum simus ambæ sexu & ætate simillimæ; ni fortè in ejus fœcundiore domo litteris pluat, quibus casa mea sterilescat aridior, & sic locus esset in culpâ, non Laura. sed commenticia sunt ista: ignosco, auias cogitationes sola non sequitur; variæ sunt enim singulorū vbiq; hominum mentes, & variis siderum aspectibus cœlum omne subrutilat. Verum has tamen de me suspiciones paulatim adeo

experientia discreuit, vt meum (si dici licet) nemo litteratorũ nesciat ingenium: est enim ea verior historia, quæ stat omnibus oculis nota. Sed non est miratu dignum, si fortè signatum hunc rubigine meum calamum litteratores illitterati non probant, qui tot illustrium ingeniorum studia contemnunt: hæc esse Eusebij atq; Orosii obuoluta tenebris opinio, hæc caligatis illa hæresis, qua me irridendis argumentis non Orestes modò, vel Phronicus, sed profestum quoq; vulgus impugnat: Inuidiæ nanq; ardens atque torridum guttur haud facilè potest conceptam auidiùs maledicentiæ sitim extinguere. Sed hæc puta pro execrationibus impiorum fuisse opportuna relatu. Nunc posteaquam in foro judiciali Gismunda me prouocat, quę politia est ornamentumq; virtutis, dicat illa velim, & ostendat, vbi nam actoris in decidendam suspicionem libera citatio, vbi rei procuratum examen, vbi contumacia, vbi cōfessio. Si ei mei discrimen danda fides est, quid non & mihi in præjudicium ipsius? Semper insimulatis purgandi se dari debet occasio, rependens è verò dubium ante digestam juris formulam

mulam falsâ persuasione plectatur. Scripsimus Claris, scripsimus Brixiæ, Romæ causa refertur. Hic justitiæ facies nulla monstratur: nempe sicut ab electis judicibus prouocare non licet, ita ab incompetenti non potest quis, aduersante judiciariâ sanctionum dispositione, conuinci: nam causa, vbi oritur, ibi semper ex canonum obseruantiâ finitur: lex enim ad æquitatem spectans, consuetudines loci sectatur; & sic omnibus colludii contagiis amotis judicium indultum sub inuiolatâ firmitate ab imperturbato judice promulgatur, & tunc ab illo appellare sola insignis odii perfidia consentit. Non debes ergo, Bonifaci, dolere, immo neq; mirari, meâ sententiâ, quòd cauillationum tot gladiis obuiam me dederim, quibus me fodi sententiam rcauetur enim ecclesiasticis regalis, quòd is censeatur fateri de crimine, qui se ab excusatione non curat eximere. Armanda semper ratione manus est, vbi honoris causa discutitur: iras namque magnas causæ interdum paruæ succedunt; neq; enim parui pendideram, quòd obscœnissimi tonstrinarũ senatores quidam exectationibus in me derisoriis obla-

trent: nam qui bello injuriarum appetitur, is, si saluti consulit, venientia in frontem tela repellendo studet euadere. Hæc igitur à surrepenti criminatione soluta mihi purgandi me venia conceditur, vt litterarum illi carnifices, de peccato confusi, quo tandem insolēs vanitas sua tendat, intelligant. Electissima verò Soror illa mea à sorore se fateatur admonitam, vel de manifestis solùm, vel de necessariis esse loquendum. Vale. Decimo Cal. Septemb.

Laura Cereta ad Luciliam Vernaculam, contra Mulieres, Mulieribus doctis detrahentes. Epist. LIV.

PRæcidendas in frusta linguas, & cæsim eorum corda lanianda censuerim, quibus tam praua mens, tamq; incredibilis rabies inuidiæ popularis exarsit, vt posse mulierem vllam in Romanę facūdiæ disertissimas partes euadere imperitis vociferationibus negent. Ignoscerem perditis, & in flagitia destinatis hominibus, quos de manifesto furore incastigata lingua castigat. Sed garrientes

bla-

blaterantesq; fœminas ferre non possum, quæ temulentiâ vinoq; flagrantes nô sexui modò, sed sibi plerumq; dictis petulantibus injurian tur. Hæ mentis impotes, & inter vicinas ex vrnulâ popinali consultrices numerosissimis suffragiis extractæ, mox illas, si quæ surgunt insigniùs, indagantur a conitu liuoris occidere. Procax sane atq; infrons exitii impudentiæq; deuotio, scelus anhelans, quæ dum vel consumatissimis inferre maculas studet, turpiorem sibi demeretur infamiam: nam qui se à peccato non curat absolui, is sibi turpidinem concessum iri desiderat. Hæ propterea, otio & incuriâ desides, ingerunt se se alienæ vigilantiæ, & tanquam suspensæ contra passeres in hortis imagines in transeuntes arcu linguæ virus excutiunt. Quænam honestatis causa est, vt exacerbantium circumlatrantes fremitus toleratu dignos existimē, quum graues florentesque matronæ honorato semper ore me prædicent? non sum ea, quæ velim turpes insolentium ausus sub silentii ignoscentiâ transire ne fortè vel ipsa dicar id probare, quod taceo, vel ipsæ vitam cum turpitudine regentes, plurimos ad licentiam com-
pec-

peccantes alliciant: nec velim propterea me quisquam de impatientiâ redarguat, quum vel canibus liceat infestiores muscas vnguibus decussoriis arcere: arcenda quippe semper est ab sano grege pecus infecta; nam maxima à minimis sæpe læduntur. Quis crederet pestem arborum esse formicas? Conticescant igitur insolentes illæ mulierculæ ab omni honestatis jure disjunctæ, quæ odii incendiis ardentes, ni loquaciùs rodant alios, ipsæ intro mutæ rodantur. Vexat animi rubigo dementatas Matres quasdam, immo Megęras, quæ doctarum vel nomen ipsum audire non sustinet. Hæ sunt facies illæ pulmoneæ, quę in suâ illâ vehementiâ dicendi nunc è strictis buccis longissimi pediculi verba proferunt, nunc sub oculis, ad horrorē visentium regentibus, tonantes nugas ore disseminant. Pudet nimium erroris humani, & piget earum, quæ nodosâ dubitatione detentę de artium humanarum possessione desperant, quum illam facilè possint cum solertiâ & virtute nancisci: necq; enim litteræ ex testamēto, aut sorte quadā nobis eueniūt: sola à nobis ipsis virtus acquiritur, nec possunt ad rerum arduarum
cogni-

cognitionem aſcendere, quæ luto voluptatum ſorditatæ, in torpore ſegnius hebeſcunt. Illis duntaxat ad perdiſcendam ſcientiam ſtrata via eſt, quæ ſtudia, quæue labores, & vigilias laudem ſibi certam, exiſtimant. Vale. Calendis Nouembris.

Ad Albertum de Albertis Laura Cereta. De concurrentibus Cœleſtium Aſpectuum ad Natiuitatem hominum. Epiſt. LV.

IMmenſum Epiſtolæ tuæ mare fluctuans fragilis ingenioli mei cymba non patitur; neq; ſanè mihi ad tantas remotioreíq; vias Vlyxis, vel Iaſonis velificantes naues illæ ſufficerent. Fateor filia tua ſum, ſed rudis adoleſcentula tamen: nolim pro minuendâ ęſtimatiunculâ meâ ad me venias; eant potius Te viſum, qui, vt ad legētem Romę Liuium, ſe reportarent, multos errârunt annos mari tranſacto. Exactè ſatis ipſa, & ætatis, & litteraturæ meæ imbecillitatem agnoſco. Finxere vates Amorē cœcum: quidni & ipſa ignoſcam fidei in me tuę, quę fortè in ſuâ nimie-

tate credendi Elephantem me facit è culice? litterę tuæ Medusâ genitę, obcœcârunt me stupescentiâ & splendore tuæ facundię: hinc indignum paruitati meę reor, quòd granditas tuâ me visitet. expectanda est mihi ornatissima tua Conjunx, mihi Mater altera: Hęc vbi venerit, non me optabit incassum; tunc enim te maximè venerabor, vt debeo; tunc audiam Apollineum oraculum tuum, vt cupio; tunc in magno scripturarum pelago innitar libris tuis, ex quibus jura dantur legesque viris, & vbi Castalides illę Sorores Dianam Phœbumq; canunt: ego enim vel absentē tanti Te facio, quāti pro virtute tuâ à genitore meo penderis, qui Te juremerito & veneratur, & colit. Litterę igitur tuę quāquam non minore amicitiâ, quàm grauitate pellucēāt, ex eo spretam me tamen existimo, quòd spreuisti à domesticâ fide meâ munuscula, dum simpliciore animo tua nuper acceperim; nimirum vel munus admittere, vel renuere vitium est: ex alterutro si sciero quod adscripseris tibi, ad me quid spectet erit apertum; Sicq; in vno eodemq; officio certior accusationi, vel excusationi dabitur locus: Stabit

bit igitur inter nos mutua verę fidei charitas, ſtabunt munera retrorſum, ne ſe virtus ad virtutem fortè collidat: Tu tamen intereà pro integritatis tuæ cultu ſanctiore me inter filias tuas non dedignabere filiam: quare vt expectationi tuæ faciam ſatis, perſuaſum habe, quòd nono calendas Apriles, quibus, quaſi ſub primis incremẽtis anni venientis, ætas tua annis duobus de quinquaginta ſignabitur, Saturni vis gelida in vndecimo gradu Sagittarii Septentrionalis aſcendet; Juppiter verò in Capricorni decimo gradu à Septentrione ibit in abruptum: Verùm Mars ardens, ab auſtroq; decliuis, in dorſo Aquarii gloriabitur: at Sol præceps, in Cœli dexteram means, vndecimum ingredietur gradum Arietis: ſtimulus autem incrementi naturæ Venus, ad Boream ſcandens, Tauri caudam aſpiciet: Mercurius item in Piſcium gradu quarto & vigeſimo ardua emetietur Aquilonis; ſic Lunam in oppoſitione Veneris anxiam portabit cauda Scorpionis: ſed Draconis caput atrox Piſcium intercurſabit humor vndecimus. Hìc quos Sortis tuæ caſus fata vehant, nihil penitus ſcripſerim, niſi priùs vel conceptionis

infusę, vel Natiuitatis orientem gradum, com minutissimasq; horæ sectiones per astrolabium, & Sphæræ lineas inuenirim: Breuis est enim nascendi mora, sidereis nexibus alligata, sed multiplex tamen est diuersaq; differentia cœlestium, ocyore, tardioreue cursu meantium: nam pigri sunt erraticorū aspectuum motus, segnior obliqua Signorū ascensio, tardissimum verò Fixarum inter in æternā illā serie lucentium: Habendi ergo in primis sunt respectus distinctionis primæ domus ad gradus æquales: habendi & luminum casus, atq; eorum elongationes ab angulis & cardinibus suis: accedunt autem cognitioni pernecessariæ directiones Ascendentium, retrogradationesq; Stationum, cum partitionibus horarum in transuersales arcus inæqualium: Res est & magni judicii nouisse quis Planetarum dominium regat in circulo, & quæ oppositiones eorum Natiuitatem præcurrant: Solent Genethliaci obseruare dies electos, & solares accessus, incrementaq; lunaria cum intersectione Draconis; nec spernunt hi Planetarum inter se complicatos labores, ut q; loca, domosq; Stellarū, maximè si il-

si illarum aliqua figura Zodiaco proxima in discrimine Natiuitatis abscōditur, aperiturue. Nimirum constellatio Natalium, quanuis sit potestati diuinæ subjecta, radiis tamen tenetur causę secundæ, quæ juxta contemperiem superiorum corporum nos mouet, ac concitat. Hoc igitur prætermittendum duxi pro tempore, velut impertinens propter ignorata principia. At Tu in hoc æui die eminus de loco non emigrabis ad locum; nam tum ciet nubes aër, ni eas aliquid fortè contingens auerterit: Contingentia nanq; Mathematicis sæpe rationibus videntur illudere. Vale. Pridie cal. Nouemb.

Laura Cereta Fratri Thomæ Mediolanensi Ord. Prædicator. S. Epist. LVI.

IRatius apum examen spinosior Epistola tua est, cujus tot melligeris poplitibus tot aculei, punctim exacuti, sublatitant, sed tangat culpatiores animos hoc virus odiosum; objurgatorias ego nondum ire vias edidici, nec adhuc calamos emo tanti, qui stillent

absinthia. Si Plato Parmenidem, si Socrates Anaxagoram, si Philo Academicus Stoicos, si Diogenes Euclidem, si demum Ciceronem Salustius, & Cicero. M. Antonium culpatiûs improbitant, quid mihi cum illis? Concitatio fuit ista, non consultatio sapientum; Gladiatoris enim non Iudicis est indictum contumeliæ bellum in theatro defendere. Lætor sanè non doleo, quòd Lauræ inuidum surrexerit omnibus nomen: effecit nanq; veritas, vt vulgo scripta mea displiceant. Num fortè credis è summis labiis mea mihi verba efflu xisse? Sunt illa plerunq; in ipsis ingenii visceribus nata; in hoc libertas animi vires suas exercet, quòd amicis quicquid mentem inurit expono: Moratur mecum semper mea mens, qua suadeor eos jure reprehendere, quos vel toto pectore cariores admisi. Hinc consilium cõscientiamq; meam prospectans introrsus, obedientem non opinioni, sed morti mihi vitam instituti. Indignum nimis certè reor quòd mordacitatis meæ lamentetur mordax tua illa conquæstio, quæ me, vel insontem, tam apertâ recriminatione sollicitat: Ego enim Te preceptorem meum, & lectio-

ctionibus innutritum Philosophiæ sat veneror, quum venerabile apud omnes Philosophiæ nomen extiterit. Non est objectum ordinatæ mentis inuidia, sed charitas; nec fumo pascitur, cui de diuinis major semper fames est: vaga quippe, & inanis est humanę glorię mercedula. Inuitat me ad calcanda desideria fugacis vitæ peregrinatio transcurrens: ob id renunciaui mundo, eosq; fines legis mihi constitui, in quibus vltra licitum libeat nihil. Ego paratura mihi speculum mentis ad mortem, Saluatoris nostri doctrinam menti semper ostendo; & quamquam interdum inane mo oblectamentum agat auersam, constantior tamen auxilio Dei è casu resurgo, & sperno vilitatem hanc corporis, cui quantulum terræ satis est: Ipsa enim per se fides contenta mecum semper est, qua feror velo humilitatis ad Deum. At nemo tantæ integritatis est, qui ad beatitudinem animi per se sibi sine humilitate sufficiat. Sensi itaq; Epistolæ tuæ pungentes vrticas, & cicutam natam in dumis lethalis primùm sorbitio perhorruit. Sed obstrepant in senatu, & scribant ista candidi Catones; sic definitionum naturalium quæ-

ſtiones clamoſa tecum Logicorum Academia perimplicet; ſic Iſagogas, primas rationes demonſtrantes, introducat palæſtra Porphyrii;ſic concludant Cathegorica Prędicamenta Peripatetici, & ſubtiles Periermenias Apulejus & Ariſtoteles, ex mentis virginitate parturiant. Ego verò Fœmella, ingenio litteraturâq; jejunior, quæ me gloriâ publicandi ingenii in circulis diſputantium, proferre nō poſſum, excuſationes in Te meas enarrabo in cellulâ humiliore cum Chriſto. Diuerſa illa ſibi cōtrariorū genera, hypotheticiq; paralogiſmi, ac definitionum tot ſpecies variæ, & ducta ex topicis argumenta illa tua tecum ſint: Non eſt profeſſionis meæ diſceptatio, ſed gratia: quicquid implexiùs orditura tua texuerit, erit in illo mea excuſatio ſilentium, & mea mihi beatitudo patientia. Conſtantiores nanq; aures illæ ſunt, quæ ſæpius obſonuerunt obloquiis. Sanè ea ſum, quę poſſim cum ſoſpite Vlyxe venenatos Syrenarum cantus ſecurâ nauigatione tranſire: eſt enim prompta mihi, quæ paſſioni ſurrepat, ratio, quoniam me virtus, non voluptas inſtituit. Vale. Tertio Idus Nouemb.

Lau-

Laura Cereta, De Influentiis Planetarum in vegetabilia, Regimundo Fortunato Physico. Epist. LVII.

ASpectus & Figuræ cœlestium quantum ex ortu influxuq; radiorũ rerum naturas moderentur, ac concitent, testis est herbarum sub vnâ eâdemq; cœli plagâ, & in vno paruoq; prædiolo varia complexio, varia & in vnâ minerâ, atq; purior mettalli gemmarumq; præstantia, varia necnon, atq; impar in vtero vnius, geminâ prole, inclinatio, dispositioq; animatæ materiæ; siue illa vegetet, siue sentiat, aut intelligat. Hoc qui non percipit, non integrè sapit, quum res vna sit, quę è studiosis neminem fugiat: ærusçator enim vel corticosæ veritatis est studiũ: nam Studium cribrum illud est, per quod intelligentiæ grana funduntur. Propterea non erit abs te mihi injuriâ quæsitum, vtrum medelæ simplices vi superiorum corporum aliæ aliquando à proprietate impediantur, aliæ auxilio vegetiore nascantur. Perpulchra sane quæstio est, non quæ excedat mentem homi-

num, ſed quæ ab Aſtrologis arbitrari facilè poſſit: Habetur enim exacta de his, perfectaq; cognitio, ſi quis altiùs inſpiciat: Ego verò illorum nouiſſima, qui examinatas diligentiùs has contemplationes enodant, hoc conſonæ, & legitimæ rationi conceſſerim, ni me cenſoriâ virgulâ ſcrutatrix cauſarum Phyſica foras ejiciat; Sol enim & Luna à quibus influentiæ ſcaturiunt, aperiunturque, fontes maximi, certam habent cum cæteris erraticis, fixiſq; ſideribus, concordiam: à qua connexio cauſarum in naturâ procedit; vnde qualitas diſcors in materiebus elementatis imprimitur: Contemperies enim regionum, coaleſcenti vligini terræ commixta, aſtrales deſuper imbibit afflatus, qui ſecundum diſparilitatem ſubjecti diſpoſiti diuerſas in vno ẽte naturas diſſimillimaſq; producunt. Non eris ergo neſcius, quòd in Aſphodelos, & Sempreuiuam Saturnus peculiariter influit; Eupatorii & Juſquiami vires Juppiter mouet; Plantago & Peucedanum à Marte nutriuntur; & Sol Cichoream & Virgam paſtoris amplectitur; Veneri agreſtis Sclarea & Verbena dicantur: Verùm Taſus Barbaſſus

& Pentaphyllon sunt Mercurio cariores; sed Lunam Cynosbatos & Pæonia sequuntur: Sũt & ex herbis aliç, quib⁹ vegetior secũdùm signa Zodiaci virtus imprimitur: hinc ad sanandas passiones attributas Saluia efficaciore vsu se præbet, si legeris, dum Solis iter decurrit Arietẽ; Verbena satiùs auellitur quando scandit in Taurum: in Geminis Verbenã alteram, terrç sparsam, accipies: ita Consolida major in Cancro, in Leone Cyclamen, Calamenthum .a. sub Virgine fiet vtilius; & sic ordine sphçræ in celsitudine Libræ Heliotropium extirpa, Artemisiam in deflexu Scorpionis, in Sagittario Anagallidem, in Capricorno verò Lapatium, Draconteam in Aquario conquire: Sed in Piscium digressu Aristolochiæ datur electio. Ibis autem à vigesimo tertio Lunæ adusq; peræuatum orbem subeuntis conjunctionis herbatum: Solers interlunium euitabis, donec corniculata elongauerit se se; Nam tum propter combustos cum Sole labores radicibus virus potiùs, quam virtus inspargitur. Sed vnamquamq; in horâ semper, ortuq; Planetæ suî eruncato: nam Planetæ singuli in discrimi-

nibus sui temporis subjectis auxiliantur sibi similibus, prout aptiùs tamen influunt aspectus inter se varii, peragrationesq; Sinogrum: efficatiores autem, vel suæ speciei, sunt herbæ, quæ sub calentibus apricisq; nascuntur, quoniam illuc ex textili raritate meatuum patentiùs multo spiritum Solaris caloris admittunt. Verùm vt maturatiùs vulnera cures, apostemataq; dissoluas, tua colligendi in augmento Lunæ sit optio: nam his ab ægritudine causa longius citiùsq; propellitur, in decremento verò mundificationem extenuari stat casus, quia major ad naturam causa superfluitatis adducitur. Hinc edicitur impia illa cautela medendi, qua multi à sanitate promissâ fidem violant, dum morbos ægris pro arbitratu augent, ac minuunt. Has ego morigera ex hortatu desideriisq; tuis attigi, licèt paucas, easq; summatim. Defluunt autem & in rebus impressiones aliæ mirandæ, quibus Xenocrates charactèrum figuras, obseruationesq, verborum immiscuit; Sed illæ quoniam videntur medicatæ magiees veneno subcinctæ, eas idcirco non jam à consuetudine deprauare, sed judicio integrioro

in

in medium relinquere potiùs institui. Vale. Idibus. Octobris.

Lauræ Ceretæ ad Martham Marcellam, de morte Mariti, Consolatoria.
Epist. LVIII.

OPtarem M. Crassum Parthicum in tribunal inexorabile Rhadamanthi subrogari, Marcella: Ambę hinc raptim peruolaremus ad inferos; nam carius esset aurum illi, quàm vmbræ. Sic commercaremur auri pondo peroptimos vnicordesq; viros Petrum, ac Lælium, quos pudoris integri castitąs tam mirâ honestate in conjugali prudentia seruauit, vt illos seruatus intus amor perpetuâ pręteritorum memoriâ custodiat: neq; enim conditum sepulchro virum obliuiscitur fida superstes. Sed (heu) frustra insequimur plenis votis amissum. Quid ita, Germanâ carior, internũ dolorem defles amarius? Num mouentur humano gemitu Reges inferni? Memini superiore dehinc anno me raptam per Orci perpetuas glacies, perq; Phlægethontis flãmas intensas, atq; cœnosos Acherontis

rontis hiatus: & quamquam tartarea his oculis regna conspicere, credo somnians, mihi mentirer, tentos tamen, deiectosq; fornaci & æternæ nocti demersos homines horrens imaginatio cernebat. Hic sub penitissimo stupore animi mœror me, atq; metus abripuit, turpaui necnon laniata comas ora lurida, deploraui misero luctu maritum, & derosi, transfossiq; cordis insanabile vulnus ostendi; sed demum omnia nequicquam: hic nanq; mihi semper obstitit crudele fatum infestius, & mortem confestim ex-itumq; mihi comminatus est Pluto vorax, obuiusq; præcursitás: hic strangulatim sub dirupto suopte illo boatu papè raucum ingeminans, vigilantius, inquit, Puella circunspice, quònam ante tempus ipsa te vehas, ne temeritatem introclusus fortè aditus fallat: nam remingrandi facultas hìc omnis abripitur, trahente sic inexorabili serie fatorum. Obstupui primùm, ceu vitæ mortisq; nescia, adeo timoris internæ febres torruere præcordia: sed generosa mens, ad difficile prompta, mox pauorem illum profundius infusum sub duriore cordis firmitate calcauit: at illinc cacodæmon ille me trudi

præ-

præcepit: Ego quo diuerterem minùs conspiciens, sacellitum insidias celeri fugâ decepi; sensi autem, quà festina me egeram, tonitrua, e luctanti conflictu aëris elisa, sic ab his repulsi fulminum jactus omnia corruscanti fragore pulsabant; quare hinc suspenso gradu me auferens, lethæa sine potu vada trajeci, vbi toruæ, trucesq; oculos, furiæ in faucibus resonanti antri sedebant: Erat autem paludibus vndiq;, & vermibus, atq; ignibus impeditus ille locus igniuomus, quem triplex, & illita venenis fossa cingebat: intro exardescebant animarum sceleratissima prœlia, que vltrò in latus, ac jugulum se se ferro transigerent. Hìc sedit Æacus, affectans supramodum judiciale fastigium, qui sententias damnationum effulminans, quantitatem offensæ supplicii qualitate pensabat: hìc uel Charon ille nauta, remo quatiens pulsansq; animas, in copiosius aggregatas ad littus inhiabat semper auidius: hìc inquam latrantes multi Cenocephali, & monoculi multi Cyclopes, ceu arroganter de viribus præsumentes, insolentem pugnam in circunfusos manes vrgebant; excitabantur hinc magni dæmonum feroces-

cesq; discursus, quibus furor intus fremebat horrentiùs, & vagabatur formidolosę mortis hostilis terror in omnes: Horum alios, membratim distractis curribus alii laniabãt, alios stipites adacti per viscera torquebant, alios immanioribus bestiis discerpendos objiciebat Cerberus Canis, qui & palpitantia ibi membra torrebat, vbi camini majus exundabat incendium. Vidi quos vnco diriùs excoriaret, patibulis jam in harenâ suffixos, & quos carceribus trusos, ac sub jugo catenisq; custoditos, ad pœnam perpetuæ seruitutis adstringeret. Hinc itaq; in vulnera atq; ignes reboabant præ cruciatibus mille: Mille verò, constantiam ex desperatione sumentes, in destinatam vindicis cultri punitionem procurabant occurrere. Infœlicioris belli sors vltima fuit, quæ insequentium facibus multos vrebat, multos & refugientes per aspera deuia in sulphureum mare submersit: Reliquos è deuexi montis abrupto latere dedit in præceps. In hoc vltionis diuinæ tam tremendo spectaculo sagittarum nubes, per aërem latę, vndecunq; volabant: nullæ inibi vnquam induciæ nulla vel fœderis pacisue cõditio; Omnia

nia truculentâ rabie feruebant; nimirum hic irrita malorum ſpes omnis exinguitur; hic nullâ interueniente morâ renaſcuntur omnibus ſua tormenta: ſic rurſus armabantur inſtructę acies vtrinq;: vtrinq; demũ omnes dubiâ ſorte victi mugiebant. Exaggerabantur, crepitabantq; viciſſim iræ frendentes,ex quo per diabolicas tubas renouatæ turbationis fragor increpuit. Exanimat ergo me, perturbatq; nimium miſerandæ hujus recordationis mœror inæſtuans; tanta eſt illa pietas, tanta amaritudo viſionum, quæ præcordiis altiùs infunditur, cõſolata me tamen eſt ſpes certior Viri defuncti, quòd illũ diu in Ditis toto regno quæſitum nunquam inueni, tanquam is, qui eſſet pro conſtantiâ moriendi ab omni Cocyti ſtatione prohibitus. At Tu nunc,amata mihi Soror vnanimis, quid miſero luctu te perdis? quid malorum tibi cauſâ in ſtuporem te vertis? cur triſtibus ærumnis ita te conficis? aut cur ſic lacera crines immugis? Eia reſume animos: nam animo noſtro nil grandius, & victrix Fortunæ virtus eſt noſtra. Num optatiſſimum tibi Conſortẽ fortè plangis? Fert hoc, fateor, in primis mo-

ceſq; diſcurſus,quibus furor intus fremebat horrentiùs, & vagabatur formidoloſę mortis hoſtilis terror in omnes: Horum alios, membratim diſtractis curribus alii laniabāt, alios ſtipites adacti per viſcera torquebant, alios immanioribus beſtiis diſcerpendos objiciebat Cerberus Canis, qui & palpitantia ibi membra torrebat, vbi camini majus exundabat incendium. Vidi quos vnco diriùs excoriaret, patibulis jam in harenâ ſuffixos, & quos carceribus truſos, ac ſub jugo cateniſq; cuſtoditos,ad pœnam perpetuæ ſeruitutis adſtringeret. Hinc itaq; in vulnera atq; ignes reboabant præ cruciatibus mille: Mille verò, conſtantiam ex deſperatione ſumentes, in deſtinatam vindicis cultri punitionem procurabant occurrere. Infœlicioris belli ſors vltima fuit,quæ inſequentium facibus multos vrebat, multos & refugientes per aſpera deuia in ſulphureum mare ſubmerſit: Reliquos è deuexi montis abrupto latere dedit in præceps. In hoc vltionis diuinæ tam tremendo ſpectaculo ſagittarum nubes,per aërem latę, vndecunq; volabant: nullæ inibi vnquam induciæ nulla vel fœderis pacíſue cōditio; Om-

nia truncnlentâ rabie feruebant; nimirum hic irrita malorum spes omnis exinguitur; hic nullâ interueniente morâ renascuntur omnibus sua tormenta: sic rursus armabantur instructę acies vtrinq;: vtrinq; demũ omnes dubiâ sorte victl mugiebant. Exaggerabantur, crepitabantq; viciſſim iræ frendentes,ex quo per diabolicas tubas renouatæ turbationis fragor increpuit. Exanimat ergo me, perturbatq; nimium miserandæ hujus recordationis mœror inæstuans; tanta est illa pietas, tanta amaritudo visionum, quæ præcordiis altiùs infunditur, cõsolata me tamen est spes certior Viri defuncti, quòd illũ diu in Ditis toto regno quæsitum nunquam inueni, tanquam is, qui esset pro constantiâ moriendi ab omni Cocyti statione prohibitus. At Tu nunc,amata mihi Soror vnanimis, quid misero luctu te perdis? quid malorum tibi causâ in stuporem te vertis? cur tristibus ærumnis ita te conficis? aut cur sic lacera crines immugis? Eia resume animos: nam animo nostro nil grandius, & victrix Fortunæ virtus est nostra. Num optatiſſimum tibi Consortẽ fortè plangis? Fert hoc, fateor, in primis mo-

tibus

tibus innata dulcedo suorum: at suum tamen terra reposcit; & quamquam tegat luridos artus hoc specus, non est tamen æterno somno spiritus inuasus. Impendes & tu animam fatis, & miscebis vno tumulo cadaueris ossa liuentia: nam vitæ, mortisq; agitur semper alterna mutatio, sed dubiæ vitæ mors certa præfertur, quum omne vitæ spatiem sit vna mortis breuisq; vigilia. Improuisa nanque mors vel inter ridendum multos absorbuit. Sic vitæ incertęq; necis vnus est dies, quem amariùs vltima hora perturbat. Sed laboro, inquies, mei fastidio, quòd amantissimũ mei, preciatissimumq; tam citò mihi socium amiserim, at neque in tuto est ista querela: vult enim Epicuri doctrina sapientem posse se ipso esse contentum: Nam omni prorsus amico dulcior est virtus, quippe quod ex virtute, non ex marito, vel auro, vllâue delectatione felicitas nostra procedit. Quid enim fructùs habet implexa passioni, innodataq; voluptas? Blandimenta sensuum, insidiæ viscatæ sunt, quas ardens hora mortis incinerat. Quid refert num Tibi præferas Virum, an ille Te sibi prætulerit, quum vsurarii esse non debeant

affe-

affectus amantium ? Non expectat Amicitia quæ commoda consequatur, vel inferat. Ordinatæ appetētiæ castus est stimulus: Pręsens enim adsistit nobis semper noster amor, qui in morte non extinguitur, sed absentiâ lenitur. Vacare à molestiis nemini contigit, adeo in humanis vnicuiq; sua est infelicitas promptior: in aduersis enim alterum ex alterius fine renascitur. Subducamus igitur, quoad possumus, oculos jam lacrymis siccos; satis quippe nimium per se morsus animi, quocunque abierimus, nos sequetur infestiùs. Satis in squalore, & vilioribus pannis honorauimus Viros, lacrymarum vno certè fonte lauatos. Nec debemus: eatenus tamē varietate Fortunæ terteri, vt ad infirmitatem animus mœrore tentus incurrat. Eos ego cantu non fletu sepeliendos existimo, qui cum ordinatâ ad mortem vitâ perierunt. Credisne Deum, in æterno illo arbitrio diuinitatis injustum ? Posuit ille beatorum sedes in Cœlo, vbi justi, inuiolatâ securitate perfusi, mirâ cum tranquillitate quiescunt. Fuere illi Comites Consortesq; nobis, & multâ quidem in nos semper curâ pietatis accincti. Quòd si suspiriis, si la-

men-

mentis proſequendi ſunt, qui ſub compoſitâ voluntatis integritate vixerunt, quid facient infœliciores illę fœmellæ, quę vel funeſtos habuere, vel nullos? Quæ nam ita perdita mens eſt, vt procuratæ jacturæ memor obliuiſcatur ſui? Aduerſa fortitudinem potentiùs indurant, & victrices ſemper manus è theatro conſtantia reportat. Atqui verum animi robur, dum ſciſſo velo in fluctus it medios, dum vel nocentiſſimâ grandine concrepitatum incutitur, & turbinoſus ex omni parte reſonat fragor, tunc dehiſcentes etiam nauigii rimas acriore cordis firmitate contemnit. Innitamur igitur in altiore aduerſitatis pelago. validioribus remis, & paratiori periculo, mediis obniiſq; pectoribus inſurgamus: Nam vbi plus periculi eſt, indè plus gloriæ reportatur, & palmæ. Multæ nanq; ad mortem diſpatent omnibus viæ; ſed impar eſt, & incertus vnicuiq; ſuus euentus: Interim ſi quid nobis è conceſſis Sors noſtra ſubtraxerit, animo inuulnerato feramus. Vale. Octauo Idus Octobris.

Ad Nazariam Olympicam. Lauræ Ceretæ de Vitâ propriâ digesto.

Epist. LIX.

SOllicitata precibus tuis, non potui non obtemperare tibi, Germana, cujus ad amatum vultũ, atq; ordinatos mores ante animũ semper fero. Hoc autem ideirco mihi consului, quoniam amicæ morem gerere, amicitia in rebus honestis semper efflagitat. In te autem quantum exempli habuerit semper honestas, emendatus in omnibus vitæ tuæ tenor ostendit. Testis est mihi mea mens, quantum Tibi semper ex virtutis auctoritate detulerim. Sed vellem plusculum tamen ocii dari, quàm indulto huic à te mihi negotio supersit. Rem ipsam ex ignoscentiâ tuâ temporis necessitate pensabo. Occurrunt enim triplices mihi, quam vnquam ad hos vsq; annos fuerint, curæ. Sed piget certè nimium, atq; pudet ea referre, quæ dignitati majorum nullâ possunt æquiparatione conferri. Meliùs ista & antiquiùs fortè scripsissem, quando subducta curis vacabam animo

dabamq; litteris tempus omne, tam oursim properanterq; transgressum. Distabuit nunc ocio domestico,& torpuit segnius incendium illud, beatitudoq; studii, cujus scintillanti lumine totus olim exardebat affectus: Indulsi namq; semper pro vigore & elegantiâ clarioris ingenii ea litteraturæ mandare, quæ me possent,vel terræ mersam, extollere. Ex hoc remotiùs difficiliùsq; mihi fuit tam frigidè atq; jejunè ea chartis inserere, quæ vel de priuatâ ex infimo loco mulierculâ ipsę palam vulgi nugę conclamitant. Hinc sequitur illa necessitas, qua se hæc historia, quàm simplicissimè texta, in tenebras obliuionis abscondat. Natam igitur me quarto mense, ante quam curreret millesimi quadringentesimi Saluatoris annus septuagesimus, satis ex domesticis annalibus compertum habeo. Aruerat jandudũ antea ex niuali sæuientis hyemis gelu nostra laurus, quæ polituras horti frondentis procacibus ramis vmbrabat. Hujus inditum nomen ipsa retinui, quare dulci hac appellatione: dehinc semper ex frequẽti ore omnium domus vna resonuit, adeo pientissimis parentibus carior, alternis om-
nium

nium vlnis ridibunda gestabar: Vsu namque euenit, vt preciatissimũ habeat, quem quisq; primum genuit filium: Montana fouit altera à Matre me nutrix, quæ tumida guttur enodo rugabat ora lurida, impeditos ægrius anhelitur trahens, tremebam, memini, monstrosam hanc faciem horridula, ex quo simplicior innocentia, fari nescia, ab hoc diurno lemure citiùs se, quam crediderat, propemodum exemit. Infestos sæpe lumbricos candidior infantia sustinuit. At postquam puellascere cœpit ætas illa gratiâ redundans, in qua tenella diuagabar lasciuiens, vesicosas Variolarum pustulas tuli. Adolescentis dentitii robora nouior excrescentiæ reformauit extorsio: reliquæ sanitatis integritati diuina vsque nunc prouisio consuluit. Verùm vt succisiui ordinis minutiora expeditiùs hic resecẽ, exordiar ab his, quæ sub curriculo primi septennii cœpta sunt: Nam quid potest aliud historiæ, preterquam garrulę simplicitatis insignes nugas, tenerior ætas illa largiri? Per hoc ergo tempus, vt primùm prima vix elementa in primas litterarum syllabas mittere subdidici, Fœminę, consilio & religione electissimę,

credor, à qua erudienda, morum exercitiiq; disciplinam haurirem intentiùs. Hæc me, in penetralibus monasterii reseratis perstrictisque vestibus centum admissam, delicatè semper apud se habuit, licèt pro acu ad picturam trahendo transigero noctes insomnes me prima docuerit: non multo ad tempus spatio fidelis satis, obediensq; filis manus rudimenta deposuit, nec fuit vlla tam difficilis textu polities, quæ tenuuiùs, molliùsq; discreta me fugeret, adeo mens, tantæ agnitionis inops, adhuc ad lenes illos afflatus animata surrexerat. instraui distrinxi, & crispius sqalētiùsq; duxi tunicam puerulo Christo sugenti, quæ precia margaritarum æquaret; pendebant namq; circū os plicatile trementes armillulæ, albicanti candore pręcipuę: ab his tenue capillamentum argenti defluxit, Violaceis rosulis in peruiridi herbâ circunfluum; rigebant auro plicæ, sub nodoso & retorto ramo fuluiùs spinosiùsq; subtextæ, sanè circinatum orbem solę squamulæ versicolores ornârunt; vnum subtegmninibus interrasile ostrum adnectitur, sed polymitas & amicimina manuum interpellabant pariles crustæ, maculis fissurisq;

ſuriſq; diuiſæ: aſt humero læuo tranſlucidus ardenſq; carbunculus in faciem Stellæ micantis effulſit. Hac arte jam plena, jamq; facta velut vigiliarũ inane ſimulacrum, ocioſas à pompâ hujus implicamenti manus abduxi. Sequens dehinc annus, tranquillioribus me cõtemplationis ſtudiis accomodans, ab omni ſæcularium conuerſatione ſubmouit: Hinc timore Dei, humilis, atq; mitis in omnes; hinc cunctis, quoad poſſem, innocens miniſtrabam obſequia, & vocanti prǫſto ſemper eram, velut paſſerculus, ad manum venire aſſuetus: inde verò priuatioribus locis humi fuſa ſub ſacrificio innocentis cordis orabam: Hæc emendatæ mentis radix illa fuit, à qua ſpei germina pullulârunt, quibus cum fructu ſeruatæ legis obdormitura ſum in ſinu Regis, Redemptoriſq; homnium Dei. Intra plenum ab ingrǫſſu biennium domum, inde euocante patre cum vno mœrore omnium remeaui: Mox, vt paternum limen attigi, excepit me brachiis ſtrictioribus genitrix, & lǫtabunda blandiri cœpit miſericordiùs, ſequens me quacunq; inter haberem, quaſi neſciret mei fruitione ſatiari: at Parens, vt eſt

industrius familiæ gubernator, & vir quidem in primis temperati cōsilii, dum deposita puerilitate jam esse meæ mentis inciperem, mox ne ocio in segnitiem ætas fortè lapsa torpesceret, liberalium studiorum præceptrici me meæ restituit. Huic innixus vigor omnis ingenii, cōmunes die, noctúq; vigilias vltro deuouit. Vndecimo ab hinc, quam intraueram, mense jejunæ adhuc ferulæ subducor: jam enim quæ necessariis grammaticæ documentis oportuit cuncta digesseram: verùm domi, velut scientiæ appetentissima, coturnatæ jugiter eloquentiæ, Tullianoq; nitori, quàm potui, perspicuè insigniterq; studebam, sed emenso vix anno omnium mihi fermè domesticarum rerum procurationem assumpsi, atque ita contigit mihi non longè à secundâ ætate senescere; ob id non prætermisi: quin priuatis feriis mathematicas scholas adirem, nec omiserim lucrosissimas indulgentias, in quibus concordes illas scripturæ veteris cum Euangelio figuras intēpesta noctium silentia roserunt: Tres patris externos magistratus etiam tum puella conspexi, beatissimâ certè studiorum, & respirantis oblectamen-

men-

menti tranquillitate perfusa. Abacto æui sic crescentis tertio vix lustro, mercatori Marito me (proh dolor) Sors mea spopondit, cujus lugendum excessum infra ter senos menses seueris parca filis inuoluit. Heu dies atra nimis: ò præcordia luctu funditus & mœrore concussa, quàm miserum mihi quàmq; lacrymabile vulnus hoc fuit, immo in quanto culmine ærumnarum, relictâ amariore in dies molestiâ viduitatis, inturbor: Satis hoc superq; declamatum est aliàs, satis fœdauimus ora lugentia, satis gemitoriam vitam ægritudo formidolosi cordis inflixit, & quamquam mortis ineuitabiles nemo leges auertat, quamquam & vltrix enecet illa Deos; quamquam item senescant præpopere, moriant urq; omnia, naturaliter tamen amata non injuriâ deflentur, nec tam facilè excedunt animo incentiua dolorum. Scio, vixerat moriturus, quum mors, naturæ finis, omnia dissoluat: Puluis enim sumus omnes, & vmbra, sed dispares multum sibi sunt hominum dies, dispar infortunium, dispar euentus. Fuit frustra mihi votum omne, dum vixerit, credo, semper miserarium mihi nutrix hæc vita.

Sed euagata plusculum ad historiam resti-tuatur injuria, quæ diris injustisq; causis qui-escẽtem, & quasi in tuto mihi positam vitam ex vnius nece discidit, laniauit, euulsit. Nimi-rum nũc Viri spiritus jacet inter vmbras, nũc occulit artus marmor infandum, nunc auri-bus meis ingemit puluis ille cinerius, nunc, heu, me vel in humanis agentem, vnum an-trum expectat: Est enim vmbræ somnium hæc vita, cujus cursus imminet omnibus sub breuiore vigiliâ. His si non abundè, castè ta-men intellectum puto quis dierum ętatis meę fuerit ordo. Si latiùs ista curas, meliùs, & re-latu forte longiore, describam, si mens sui compos vnquam fiat. Ego pro tempore Epi-stolam hanc, vtcunq; illa est, donum tibi do. Nunc quæsita à te Natalis mei minutiora momenta summo studio pertransiens, fautri-ces emendatæ intentioni ignoscentias tuas expecto. Feci namq; id summo studio, ne Te cura mei de cœlestium vllâ dispositione sol-liciter. Delectabar & ipsa quondam his stu-diis, nunc imitata primam causam, secundas in sua instabilitate posthabeo: hinc malim fata, quæ super me trahantur, ignorare, quàm

noſce,

nosce, quoniam apud Christi fideles fatum, rerum olim causis annexum, nunc cessit in irritum. Vnus enim atq; idem æternus est Deus omnificus, qui cum vergente se Cœli conuexitate nos regit, ac torquet. Ex hoc illa ego sum, quæ futurorum judicia scrutari temerariæ curiositatis esse, non fidelis animi puto. Fallit quippe nimiam sepultas ingenii vel subtilioris intelligētias fugax illa siderum citatissimaq; celeritas. Oro igitur Te, ne inani hac agnitionis pompâ sic tacta, ad ventura certo casuum promissu suspires. Suspirabis sanctiùs ad justum hominum judicem Deū, in quo dum sperabis, eris semper adjuta; ab illo sanè quidem concursantium luminum, & sideralis omnis ratio dependet; ab illo & rigentum niuium glacialis horror incandet, & ardentissimi Solis altiores æstus ebulliunt: per illum nunc Luna Planetis propiùs accedit, nunc longiùs abest à conspectu & obliquitate Signorum: per illum à pregnatis nubibus modò grando præceps inhorret, modò larga imbrium defluuia funduntur: ille crebis fulminibus ferit hunc Mundum, & turbatum excussumq; pelagus quietissimâ in liquida se-

reno tranquillitate compescit; illucescentis Orientis illi roseus nitor effulget; illi ab algenti Zephyro rubens Vesper, & tetra nox demũ obducta terris applaudit; Sic indidem surgũt luminaria die noctuq; alternâ vice lucentia: Omnia manu Dei librantur. Hunc nos sequamur, hunc imitemur supplices, huic personet latè tuba cordis nostri Dauidicum, huic hymnum concinentes ambę cantemus. Conscientia nostra secretò nobis loquatur, & nos ambulantes in tenebris erroris nostri aliquando pœniteat. Ponamus altiùs spem nostram, Euangelii doctrinâ commonitæ, vt nobis, post longæ peregrinationis exilia, Christus, verus ille Dei filius, ad Paradysi nuptias aperiat, qui aberratas Patrum nostrorum animas fuso sanguine suo in salutis ęternu sinu peruexit. Vale. Nonis Nouemb.

Laura Ceretæ ad Barbaram Albertam de Instabilitate Fortunæ, & Gratulatio de Nuptiis. Epist. LX.

MOderator honestatis nostræ Chrysippus eam voluit esse integritatem benè vi-

ne viuendi, qua quis alteri in vultum blandiore nunquam amicitiâ mentitur. Ego propterea quãquam tui patris Epistola solenne mihi munusculum fuerit, nescio tamen aliquid elegantiùs extra ordinem veritatis effingere: linguæ enim atq; animi vna mihi semper est facies, quę paria operi verba concordat. Gratulor igitur tibi, & gratias ago Deo nostro, qui Barbarico nomini tuo misertus, singularissimo singulariter Viro Te credidit, nunc plenius de illo tractari neq; fas est, neq; locus efflagitat. Hujus diuina diu & exquisita virtus summa sat apud me insignisq; perfulsit. Hæc ea est, quæ se (ni fallor) per se ipsam transmittet in posteros, de famæ æternitate secura, at Tu, castissimis juuentæ floribus ornata, qua verecundior ille vultus moresq; sanctissimi tã mansuetè innocenterq; perpoliunt, quàm nimium esses sola cæteris præferenda, quàm stabilis & certa plenioris animi te honestaret vna tranquillitas, si nostrum esset, quod Fortuna concessit; Sed nullus hominũ status est, itam stabiliter omnio firmatus, quem non Sors inuida tandem aut premat, aut euertat. Occurrunt oculis lacrymę, & inquetam me

habet dolor insignis, quotiens præ me fero memoriam Viri defuncti : hic enim ad humanitatem, majorum curâ indulgentiâque compositus, comiter adeo mecum se gessit in omnibus, vt in meo me litterarũ quietissimo studio sub pignore inuiolatæ pacis amauerit: Erat enim inter nos vna semper vnitas, vna pax, vna concordia; Sed illi (proh dolor) in tenerrimo ætatis flore mors ingruit, & dum meliora adolescentię meæ promitterem, omnia mihi paruo momento iniquitas Fortunæ, surripuit. Minatior nanq; semper nobis est in erectiore fœlicitate Fortuna. Hinc est, quòd nemo viuit securus vitæ possessor, nemo diu fruitur bonis. Miseria tandem vna est nostrę sollicitudinis merces. In immensum quippe delectationes humanæ feruntur, & quãquam exagitatis orbo cursu desideriis vtamur, nulla tamen potest auidis animis inueniri satietas. Multi, ad procuratum aurum animati, in aliena littora per tentatum mare trajiciunt, alii, consilio, & manu prompti, strenuissimè rebus bellicis indulgent; quidam verò, sine labore viuentes, solâ respirationis securitate potiuntur. At mihi sub imo corde, litte-

rarum solus amor inęstuat, quo major semper animus in ipsa studendi difficultate adolescit. Sic inter electa voluptatum pocula dulce est suum vnicunq; venenum; Sic item sub vario appetitu strepet omnibus intus inquieta cupiditas. Hinc nescit infirmas conditiones hominum beatitudo dignari; languet enim fermè semper in hac sarcinâ corporis animus ęger. Sola virtus est suo lumine semper illustris, quæ blanda, & in luxum trahentia considerans, ab euanescente delectabilium fumo ad stabilem animæ gloriam tuta refugit. Fundamentum igitur, immo culmen securitatis humanæ vnum est, vt, cupiditatum omni velamento detracto, rectâ innocentiæ viâ tendamus ad Deum, quo quidem digni sunt, qui è spumantibus juuentutis fluctibus in senectæ emendato portu moriuntur. Moriendum est itaq; preciatissima Soror, non certè viuendum, quum diu nemo vixerit vnquam; est enim vno & veloci die breuior hæc vita, à qua omne tempus effluxum est nihil: propterea Tu mecum in vnum somnum itura excrescentis sanguinis tui moderabis habenas: Generosa namq; magnitudo animi ad ratio-

nis

nis obedientiam se sponte disponit. Scis ipsa, me doctior, quot magnos olim ingenio atq; viribus heroas, quotue matronas, habitu & genere vitæ notabiles obscurauerit nimia fœlicitas. Fœlices qui eâ, qua nati sunt, innocentiâ moriuntur. Hæc paucula scripsisse perlicuit, non vt consulerem nuptiis, sed blandirer mœrori subæterno, quo angor. Noui semideos tuos Albertos, noui familiæ tuæ penates illustres, noui & moderationis tuæ supérexcellens illud ingenium, quod Te, duce sapientiâ, ad testatius Patris Auique nomen extollat. Beauere parentes meos auspicia jugalia, quæ Te prospere nuptam, Nigrello sociârunt. Dii pactos, justosq; thoros faustiùs in dies fauorabiliùsq; fœlicitent. Vale. Septimo calendas Decembres.

Lau. Ceretæ in Orestem, & Phronicũ Inuectiua. Epist. LXI.

ILlitteratissimas litteras tuas, pariter & imperiti Nebulonis accepimus, quæ, quãquã nugaciunculas blaterent, non sunt non omnino tamen pro obnoxiâ charitate plectendæ.

Sed

Sed demiror impensè nimium, Oreſtes, quòd ſecurus offenſarũ ſemihomunculus in aciem contra me, ſi non ferro, ſaltem litteris peltatam, inermis totus imbelliſq; deſcenderis. Sed dic inſimulator cœce, qui tam tritâ fronte ſtrepes in triuiis, dic, oro, de quibus tecum, aut in quo culpam ipſa commerui, vt loquax, & de omnibus judicans in Epiſtolas meas, ferulæ fortè ſubductas, cœnoſas euomueris de ſentinâ inuidentiæ ſententias! vtinam ſaltem vel ſemel orantem Tulliũ, aut legentem Liuium, vel diſſerentem audiuiſſes de immortalitate Platonem. Memini dum ſub primo pueritio diſciplinæ litterales ludos intrarem, Tu in hunc, atq; illum: vicatim, & per angulos ſtrepebas anxiùs, implebaſq; omnia latratibus: at Tu, vulpecula ſagax, qui ad reuerentiæ majoris aucupium ſublatis ſic humeris pedetentim incedis, oblitus ne es, quando vater, vt in fauorem ignaræ plebis influeres, arguentium in publico palæſtram intrabas? Quis non te vidit effulminantem argumenta illa penitus informia, quibus ſtriduli in Te depalmarunt omnes? Siccine, obſcene Bubo, arbitraris in locum litteratum vicâ ſiaſ ha-

 bere

bere captiunculas? Siccine harpya insidiaris auro nostro, velut impasto semper,& rugienate ventre famescens? Ah pudeat te visceraationis tuæ, vultur, immo corue fatalis, immo famelicæ rapacitatis ostentum,& reminiscero quotiens pro Apollineâ professione tuâ ad Te pueros miserim, qui Te circulatorem, macellarium de coquinalibus ollis euocarēt implicitum: veniebas tandem ructus ingeminans,& persuadebas de Te nescio quid insolens, sed dum obsorderes fœtidus, fastidiendusq; nidore sorbili, irridebant Te omnes, proponentes tibi de Deo ventre quæstiones: Tu verò in circunstrepentes veluti resoluta bestia recrepitans, nunc obmutescebas vultu demisso, nunc inflectebas caput insanum, ceu altero adhuc ad eatam retorto, altero ad pulpamentum reflexo lumine conspiceres: dum te interpellarent alii, mussabas obganiens nescio quid barbarum,& inturgescebas contractis naribus, ineptiæ non minus, quam silentii nubibus immixtus. Sic gestus omnis, & inflexiones, motusq; cæteri deliramenta monstrabant. Hec, atq; alia aduersum Te multis ingeniis occasionem dedere scribendi.

Deri-

Derisoria sanè via tuæ maliciæ semper fuit: sed quum Te scias infamem, & Te omnes rabulam scenicum, ac Birriam mentis oculis captum intelligant; quænam te intollerabilis omnino temeritas, qui sceleratus animus, quæ fracti consilii pernicies inuasit; vt furiosissimam linguam; in crimen maledicentiæ conuerteres? Contraria, scio, enenere, quàm tibi, Onager montane, promiseras: Credebas, larua Gorgonea, Lauræ nomen exulcerare saliuis infectis; sed in optimos rumores his etiam impulisti me, quibus eram incognita. Pensa igitur, bipedum nequissime, considera, Scropha gruniens, quæ sit inconstantiæ tuæ prona mutario, quæ gladiatoria mens, quæ maledicendi sitis, quæ inuidia tandem fœlicitatis alienæ! Num scelus hoc tuũ flagitiumq; crudele auditricem me semper, semper taciturnam forte credebat? Quotiens boatus vestros hac aure surdâ transiui? Quotiens sub ore muto consuta silentia portaui? Quotiens patientiæ præmia sub ignoscentiâ dissimulatæ frontis armaui? Vos autem labyrinthieâ viâ retro semper sati intinctas selle voces procul ab offensæ abstinentiâ

 tuli-


tulistis, & conuertistis in ceruices vestras indignationis euocatę vindictam. Habete propterea contento animo, quod tam diu quæsistis: Posteaquam sic impetus animi; sic adrosor mentis liuor; sic in nugatorium latæ commeruere linguæ. Tu dudum igitur: & lupus satur ille Phronicus, vnâ simul catenâ sceleris ligati, quid ex antro ignorantiæ in studium meum tam elisâ voce vlulatis horrentiùs? Gramini ego casses & retia in vulpes deceptoria substraui. Vos nequicquam ingruitis meis scriptis alterni, & rugatis buccis, obtutuq́; transuerso frustra in me frontem obducitis. Vidi nanq́; paruula Sagas in cunis, nec formidaui nudis ossibus cohęrentia cadauera. Vidi majuscula cristatos teucros, clypeo pharetrâq́; præcinctos; sed pauorem, experta non inferunt: Nam flexuosos angues Ciconia venatur, & Lupos generosus Leo non metuit. Quid paratis mihi bella solliciti? Num vidistis me eruditâ manu promptam & ferrũ circunlato scuto repellere, & vno ancipitiq́; gladio vtrinq́; ferire? Quid ergo non desinis ipse Tu saltem, insane, si non me, studio, vt inquis, & litterarum ignaram, emendatos
sal-

ſaltem, jamq; altiùs eruditos Viros execrando reſpuere? Oſtenditur recens adhuc tua ex fronte cicatrix, qua Te è lapſu furentem gyro, præcipitemque ſuſcepi; dum vinoſus in phialas atq; crapulas dicacitatis amarulentæ venena eructares. Cognoſce ergo Te tandem truculente carnifex, qui debellandam deſtrangulandamq; virtutem inſequeris: Noli prius inuehere, quàm docere. Docenda nanq; fui, non corrigenda principio: Maximè verò quum Tu nondum adhuc verbum vllum oſtenderis, quod poſſit vllâ vel laude, vel caſtigatione notari. Sed Tu, importunũ animal, & ab jure atq; legibus barbarũ omne in criminibus ſtudium linguamq; præfigis. Omnes jam mordacitatis linguæ tuæ quærũtur. Solus Tu proditor, buſtumq; virtutis extinctæ, quando viciorum ſcenam ingrederis, non cognoſcis honeſtum, non vtile, non amicum. Tu odia in omnes prouocas: Tu omnia ad injuriam confers: Tu amens inopſq; conſilii, ex Aſino in fictum hominem verſus; Te Catonem, immo cauponem effingis, cui modeſtiæ nulla frons eſt, nulla prorſus exercitatio Virtutis. Obrepiſti quondam ad hono-

res errore hominum: jam inquinatior corrupti hominis pestis agnosceris: jam Te omnes obstructis naribus fugiunt, tanquam fueris ex fœtidâ barathri spumâ concretus. Ex hac tuâ infami latrinâ Te sequitur Phronicus, corruptissimus ille omnium, qui de senatu litteratorum, tanquam putridæ pecudis cadauer, exclusus confundit se se, immiscetq; flagitiis; velut in quo nihil est homine libero dignum. Brutum potiùs est, cui fustes, non humanitas, non litteræ vllæ conueniunt. Non me præterit quotiens eumipsum, vt emendaretur, in charitate redargui; sed medelas insanabilis languor abhorret. Hinc consputus ille calcitro inter febres morbosq; nequitiæ flagrantiùs semper ardebat; velut qui in suâ infamiâ gloriosus honestissimis illatrat litteratissimisq;. Hic enim pacis innocentiæque hostis sic æmulos aduersum me concitat, vt sollicitus venator circa latibula ferarum canes asciscit. Licèt demum tamen ipso parasitico lurcone postcognito omnia in suum atque perditum caput omnino redundent; vellem didicisset priùs tacere, quàm loqui, & virum potiùs palinodiam decantare, quàm

crimina. Quid profuit huic tuo fatali prodigio fœcunda loquacitas? Quid contulit reboans procul ineptuſq; clamor, quo ille totiés in florentes famâ viros per os impium ſpurcumq; detonuit? Ex ſermone hominis cognoſcuntur & mores: nam corruptæ mentis cœnoſa putredo in flagitium atq; conuicia ſemper armatur. Quare fons hic gurgeſq; ſcelerum quum ſe in tenebras obliuionis abiturũ agnoſceret, diſtraxit lacerauitq; omnia blaſphemus; & in omnes, quiqui cognoſcuntur, contraſtetit linguâ procaci: vt qui nullis eſſet vel litterulis imbutus, triſtes vidiſſe diceret in Parnaſſo eſurienteſq; Camœnas, quæ non Heroas aut Deos ampliùs, ſed tritas è tonſtrinis fabulas Apollini flenti cantarent. Proh verſipelle monſtrum, ò fex, ò lutum, ò ſordes infœlicium, erumnoſiſſimorumque hominum! credidit his fabulis, Ciceroniana ſimia, imperitum vulgus debere ad cholerам ſtomachari cõtra ſapientes: tanquam is qui moliretur inſignes cothurnatoſq; Viros à lumine altioris intelligentiæ prorſus orbare: Tantus inuidis ardor, tanta paſſio, tantum virus inæſtuat. Malitiæ nanq; ſeminarium

ignorantia hæc & pejora malos edocuit: Proximiùs vero mihi semper faciliùsq; fuit hos cupidos insolentis gloriæ gnathones erudire, quàm pati. Non facit cum Lycurgo Thersites; & disertissimis plebs ignara non conuenit. Vos igitur duo fulmina scopuliq; discriminum consulite vobis: Nolite simultates concitare perosi: Nolite in frontes ingenuas venenata procacis linguæ tela conjicere; ne vester fortè sanguis nostro de vulnere demũ extillet. Multi nanque intorta spicula ictu retrouerso patiuntur. Jam enim tempus, jam venit ætas, qua liceat toxicum indignationis euomere. Scitote quoniam si vobis ardens irarum stimulus ex iliacâ intorsione crepuerit, non dabitur Æsculapius alter, qui receptam vrinam speculetur in cribro. Abeste nũc vilia mancipia nebulonesq; cognitissimi, quibus aperta nefariæ turpitudinis contagia infamiæ notas semper inurunt. Calendis Quintilibus.



Lau.

Laura Cereta. Constantio Bon. S. Epist. LXII.

NUces hodie electissimus puer tuus attulit, quarum nucleum ligneâ intercursatum membranâ è compactili operimento, jejunis diebus adaperìmus. Is dedit & serotina pyra, gelu matura, quæ vi quadam succi gratissimi, quasi lactis æmula, tibi tuisque ex vino & passo condidimus. Squammosos pisces vellem lacui seruasses; vt se se attritu vētrium versando ea oua vitali semine asper sa peperissent, quæ ejus ripas & viuaria replêssent. Suscepi & Castaneas hispidis spinis armatas, & trino cortice ab naturâ occultatas: Tu misisti coctiuas, non eas quæ sponte prosiliunt, tam solers tibi cura nostri semper inuigilat. Habui quoque (vt memini) ante vindemiam vinosissimas vuas, calida satis suauitate prçcipuas: quibus succus inest, cujus immoderato vsu nihil intemperantius omnino? Quid memorem tot illos ficus prædulces ex albis, ac nigris electos? quasi crediderim transportatam ad te arborem, sub quâ vel

Adam Æuæ complacuit, vel Lupa expositis Rhemo Romuloq; prębuit mammas. Oliuas in apricis natas eâ tuo intuitu veneratione suscepi, qua in triumphis Romæ fuit & Athenis arboris tantæ bellica majestas. Satis largitati tuæ tua dona concordant: sed majus debetur Donatori præconium. Hinc ego tibi amicitiæ primum locum pro fidei gloriâ concesserim. Quarto Idus Nouembris.

Ad Sororem Deodatam Leonensem Monacham Lauræ Ceretæ Topographia, Epicuriq; Defensio.

Epist. LXIII.

QVæstiunculæ tuæ subtilitas ingenium mihi ad majores intelligentiæ vias aperuit: nec sum ob id illa ego propterea, quæ ausim hoc argumentum vllâ in parte tueri. Implumes nanq; alas aëris inane nõ sustinet. Nolo tecum in palęstrâ differere, quæ solam litterarum vmbram absq; Academiâ, vlloue studio subtilitatis acquisiui. Itineris digressusq; nostri seriem exposcis? Plana hæc satis esset historia, sed difficultas in ter-

terminis tota consistit, in quibus tacitè sub nostro illo gaudio Epicuri voluptatē impugnas. Hanc tamen ipsa tam facilè vicio non dederim; quum Philosophus illam non in delectationum sensibus, sed in animi contenti satietate locauerit. Hæc aliàs. Nunc ad quæsita. Prima igitur ex Vrbe Ceretum nostri profectio: Iseum nos cum obuiò & comitatiore equitatu sub primo Sole suscepit: Marcus ibi celeriùs expectatos ad se nos reportauit in arcem, naturâ anfractuq; saxi tutissimam. Eò, vbi lautè cœnatum est, ad nos proripuere se ocyùs amicorum turbines, qui paulò post ac in diuersum abiissent, in lectū nos illucescentibus ab occasu jam Stellis quietis causâ recepimus. Ut verò primùm Auroræ nitor effulsit, nauem, qua mercatores ad ripas castri contendunt, ascendimus, liquimus portum, vela dedimus; nam tum leues aurarum flatus ab austro surgebant: Sic jocos nautæ ac retia cātusq; trahentes longos Sabini tractus fœlici remo sulcârunt. Vix propius arenis accessimus, quòd nuncii, ex proximâ valle ad nos aduentantes, congrediuntur: His præmonstrantibus iter per adjacentes montanis

lateribus villulas eò peruenimus, vbi è radicibus imis vertex primi collis attollitur. Expectabat ibi nos flagrātioribus desideriis plebs tota feruescens, quæ plenos amicitiâ vultus sub mansuetâ adulatione monstrauit. Hinc itaque boum mugitibus plenis conualles profundæ boabant: inde summis rupibus resonuere Cornutibiæ pastorum. Dianam Syluanumq; nemus tenere credideram. Sic facilis fuit, licèt asper, ascensus. Sedimus, respirauimus, egimusq; tranquillæ in herbido prato, fraga floresq; legētes. Ducimur in alienos hortulos, quos & refertę pomis arbores, & scandentes geniculato palmite vites vmbrabant. Hîc nos omni respectu deposito priuatas ridenteq; vallabat vna securitas, qua raptas racematim vuas artifici fame mandidimus. Regredimur, penetramusq; alpes, & nactæ solitudines auias dumosa, atq; ardua mōtis juga euagamur incertæ. Diuersę tandē in superedituissimâ culminis arce cōuenimus, è qua in profunda valliū pręcipitata saxorum volumina retorsimus. Hoc strepitu exciti lepores juga illa transuerso excursu præteruolant. Comitabantur nos indagi canes, qui

in venatu solertiâ erant & sagacitate præcipui. Horum intonanti latratu pauidus ante ora Capreolus excitur, at dum hujus illi vestigia odoremq; captatum persequuntur infestiùs. is vrgente vi canum fugam saltu è præruptis elegit. Inde igitur domum repetentes, illuc impedito calle concessimus, vbi syluæ densa proceritas in altum tota surgebat. Hic sitiẽtes magalia plurimi lactis ebibimus; Nam lõgo adhuc interjectu hospitii aberant casæ. At circa conspectum hujus abrupti lateris specula est, amœnissimas villas longè lateq; prospiciens. Hoc quoque sinu sublapsæ transmisimus angustos scopulos, sub ineuitabili transitu sibi inuicem obuersos. Tenebat nos inter eundum murmur insusurrans, cui respondens echo resonuit: Ex hoc Pallada atq; Musas alternæ sub exciso saxis antro cantauimus. Hac demum summis inambulantes digitis vix poteramus terræ plantas imprimere; adeo pedes ardentissimi Solis incendia torruerant. Sic lento infirmoq; passu occultas ad flumen iuimus vias, vbi obuius aut prçuius nemo quisquam apparuit. Lauimus, tersimus, cubitum hoc sub obtentu arborũ strati-

tiũ;

tiſq; foliis indiximus, quà fluuio circũcinctus ager alluitur. Facilè ſopor placidus hujus intercadentis aquæ fragore irrepſit. Nam decurrentes flexuoſæq; ripæ rapido decurſu ſpumabant. Pendebat Laudula in ſublime recantitans, quæ modulatum aëra blandè mulceret: ſed miſit irriſor Fortuna Cuculum, qui ludificum ingeminans nos euocauit è ſomno. Riſimus, & minas Aui tendiculis viſcòq; promiſimus. Hinc cadit, itq; rapax in pro- uoluta & confragoſa ſaxa fluentum, quod rau co tractu à refuſis deſuper fontibus inũdans, occulto meatu ſubter abſconditur: nec longè hinc diſpatet in exitum, quo prouectam glaream in laci vadum eructat: hoc tranſmeato domum expectatæ dilabimur; vbi cœnulam, Xenocrate dignam, refertæ in angiportu mẽſæ parauerant. Caſtaneæ, atq; rapæ, & polenta primum & delicatum nobis fuere jentaculum: in ſecundo apparatu ſinguli ſingulis ex hordeo panes additi ſunt: vnus in medio vini laguncul us gradatim electionem circu mpræſtitit ſui. Pro opſonio auellana, nux, atq; poma cœnantibus nobis data ſunt. Opulenter ſatis exempta fames eſt. Nam ſapiens,

jejunâ victitatione contentus, quod nutrit, nō quod delectat, exquirit. Temperata nanq; parſimonia viuendi plus Socrati gloriæ, quàm Sardanapalo voluptas attribuit. Quænam parcæ frugalitatis cōparatio poteſt eſſe cum ventre: quum illa contemplationem ingenii per incendia charitatis rapiat in cœlum: hujus autem indulgentia cum rapacioris lupi vitâ concordet? Non poteſt animi generoſitas vllâ deliciarum ſeruitute teneri. Soli miſeri tolerantiæ terga dederunt. Excitemus igitur ex ſomno animum Soror, & ad majores fidei radios ignauæ jacenteſq; ſurgamus: ſequeſtremus à limine inquietudinis ſeneſcentes hujus ſæculi curas, & à deceptâ opinione futuri tenuia pendentis pōpæ fila rumpamus. Jam poſthabenda eſt humanorū omnis omnino jucunditas, & neſcia firmitatis hæc gaudia à deuiis ſenſibus reſecanda ſunt. Quid facit nunc ab beatitudinem animi reſpiranti illa videndi è promontoriis aqua tranquillitas? Quid contulit quietior illa nobis conſolati cordis effuſio, qua peruagatos montes ſine ſtrepitu vllâue Sortis injuriâ luſtrauim'? Quid profuit, putas, per cliuoſas rupes prodi-

gum illud sparsumq; refugium, à quo volans anni celeritas per molestissima nunc dierum spatia refugit? Satis ex hac locorum mutatione huc atq; illuc errauimus. Sed varia ista peregrinatio saltuum, syluarumq; mutatio quomodo amplecti potest animum nostrum, cui strictior patria totus est orbis? Certior hęc fuit mei cognitio, quòd contra Philosophiæ præcepta crediderim isto discursu quietis securius limen intrare. Sola sibi virtus ad veram animi pacem viam inuenit. Falsa hęc, Germana, sunt & fucata lenocinia, quæ Epicurus pendere parui solebat, velut quæ mansura gaudia non essent. Nam ille, vt erat magnâ moderatione temperatus, fortuita hæc oblectamenta inter quiescentesq; remissiones omnino damnauit; nec temere; nam sicut in eâ, quæ extrinsecus splendent, prona affectus inclinatio prolabitur; ita acquisitis desideriis nauseans intus appetitus impletur. Illam ille voluptatem esse censuit, quæ intra nos nata, viridior semper sub emendati animi libertate renascitur. Plenus enim contentusq; animus cum Diis potest de fœlicitate contendere. Cætera, quia senescunt, vren-

tius nos pœnitentiusq; discruciant. Magna nimirum est admirandaq; Beatitudo virtutis. Hinc vir ille, moribus sapientiâq; plenus, imaginarias omnes inuentitiasq; suggestiones errorum ad securitatem veræ quietis breues esse duxit pœnitendasq; dulcedines. Nos verò, quas jure fastidit hæc dulcedinum inconsulta sacietas; satiemus corda blandiùs in amore Dei vocantis, & cursum vitæ fugientis, inuiolatæ virtuti sub frenato animi velo pandamus. Interea consolentur se, in quantum possunt, vanitate sua Matronæ, quas vel nota mentiti splenderis impudentia non arguit. Nos vltro in nostri pudoris humilitate conspu tæ ęstimemus nostra hęc fragilia corpuscula paleas ad incendium, fimumq; relictas: & quãquam apud Te Monacham ego non jam Laura dicar, sed Laudula juxta Phœnicem; non me tamen pro humanitate tuâ à conspectu charitatis ejicies: neq; enim dedignata est Pica Lusciniam; neq; Pauo semper spreuit Upupulam. Erit, non dubito, par tibi consilium, si cõsiderabis quàm perangustissimum hocce tempus est, quod nata quæq; irreuocabili cursu trahit ad finem: finis autem, &

obje-

objectum animæ nostræ vnus est Deus, qui pro Paradyso acquirendo peregrinas nos posuit in exilio carnis infirmæ. Demus ergo tempus omne virtuti; & ad Saluatoris nostri cælibem innocentemq; vitam nocens vita nostra se referat. Imitemur tot illustres in Ecclesiâ viros, qui, omnibus desideriis abstracti, plenis animis ad æternam vitam inhiârunt. Docuit natura nos in bonum semper esse liberâ voluntate proniores; Vt sit nobis demum aliquid, quod cœlites in suo sempiterno conciliet: Est enim vagum adeo & instabile hoc viuere nostrum, vt natalem extremumq; diem velox hora perstringat. Nullus ergo per ocium dies euanescat à nobis: vendicemus orationibus noctes: vnum animo laxamentum cogitationes ordinatæ concedant. Cogitemus omni die eam ipsam illam esse nobis vltimam diem in terris. Pensemus mœroris esse turbidum fontem hanc vitam; Mortem verò putredinis vermiumq; parentem. Vehit ecce nos, atque omnia, Fortunæ furentis iniquitas; & subuolat omnis cum spiritu fugiente superbia. Orbata quippe nimium est judicio suo nostra mens, quæ sin

perim-

perimpliceat infirmæ delectationis cœca spes, fallaxq; promissio. Discutiamus hic summatim grana quæstionis. Ignota est vulgo viua voluptas, quæ humanorum negligens, diuina virtutis precio mercatur. Hæc animos nostros nutricio sinu delectat, ac fouet; & claustra obseruatæ religionis inhabitat, & in medio syrtium atq; deserti perasperrimę vitæ salua est, secura, beata. Hęc vna illa est & summa animi contenti fruitio, immo tranquillissima solatii nostri satietas, qua ad Deũ tuto fidei calle perducimur. Est enim deorum socia recta mens, in quam non habent ocia, non vmbrę, non vlla passio dominium. Lenocinia turbida sunt cætera quæque, & medio ipso mari vitiorum absorpta, quibus vaga, & inruptos turbines lata mens hominum, mollitiei & falso inaniq; solatio demergitur. Scribe sepę, si quid habes; Scribe, vel si non habes; posteaquam te mihi in tuâ illâ solitudine videre nõ licet: Leuant enim adeo me litterę tuę, vt jucunda Tui recordatio Te mihi pręsentem ostendat. Vale. pridie Idus Decemb.

Lauræ Ceretæ, ad Petrum Zenum Patauinum de subeundo maritali jugo judicium.
Epist. LXIV.

ILligat se natali tuo .... Quis non deflectat in tam fausta auspicia sententiam: Quis patriciæ pudicitiæ numini turturis hostiâ non litet? Quis ex Cypro ad sacrificandum Isidi Phasidas, & farra non donet? Parabis Hymenæo nuces garrulas, qui iustis thoris insideat; Iterabis Telamoni prosperum nomen; Superaccipient sponsæ manibus Pilumnus, & Picumnus dona dotalia, & tuo somno Deo pia pacis vota jactabis. Quòd si amicitiæ fauorabilis fati non credis; si relabentium signorum stationes obliquas, & errantium Planetarum diuersa inter se semper loca minimi pendis; aut si Te stellarum assiduè mergentium decursus fortè non mouet; velut qui suspectam mentem habes in pendulo dubiæ deliberationis ambiguam; monstrabo, quantum nostræ poterunt litterulæ, viam exemplis; quibus castimonia quondam majestasq; mulierum generoso pectore;

&

& pudicis amoris flammis,inarſit. Fideli memoriæ tradiderũt hiſtorici Didonem Eliſam, conſtantiæ illud immobile ſaxum, pro caſto ſeruandæ viduitatis impulſu diſpoſuiſſe eligere mortem animo forti; & ob id infeſtius inſtantibus Aphris objecit illa ſuo ſe cultro ſuper funebrem rogum, iteratum optatiſſimi viri Sichæi nomen implorans. Quis meritas Penelopes ire poſſet in laudes,quæ pudico inflexibiliq; propoſito contra mille nubendi tædia expectatum ex Phæacibus in Ithacam bis denis annis Vlyſſem percharũ anxia deſideratumq; ſuſcepit? Nonne Hipſicratea, inſeparatę fidei mulier Mithridati tam victori, quàm victo per maria, perq; terras, & omne bellum, miro laborũ toleratu, ſemper adhęſit? Sic proſcripti,& laborantis inopiâ Lentuli Sulpitia in laboribus fida comes,relictâ matre Juliâ,& ſpretis vltro tot ſplendoris auiti delitiis, Mariti longum in ſinu Siculo non expauit exilium. Curia quoq; memoratu inter cæteras digna.Q. Lucretium,tabularum trium-viralium exilio damnatum, intra ſinum ſecretioreſq; latebras ficto vultu non minùs quàm induſtriâ ſagaci ſeruauit incolumem;

Extulit se solius filiolę Claudię feruidus amor in Patrem, quem in Capitolium triumphantem è violentis Tribuni manibus liberum salumq; seruauit. Fulsit in seueræ pudicitiæ apice sũmo Hippo Græca, Oceani Tetyosq; filia iuuencula, quæ seruatura castitatem, quum se cognosceret violandam à nautis, in tantum doloris intus amaruit, vt se se in amaras maris vndas vltro deturbans, amariorem amaritudine mortem ebiberit. Argiam autem, Adrasto Argiuo natam ad maritalis obseruantiæ robur meliorum spes vlla non impulit: Impulit excitata potiùs ex integro corde vera pietas: qua inter cœcorum corpora excesum iam insepultumq; viri Polynicis cadauer contra Creontis imperium ausa est colligere, mandareq; flammis, & vrnæ tumulo tectum, custoditumq; seruare. Ingentes maternæ auctoritatis vires sunt, quæ eas iras obdurati & Romam obsidentis Coriolani orante matre Veturia mollierunt: quas per legatos supplices Romana plebs, aut per velatos Pontifices vllis precibus placare non potuit. Reddat Nero Agrippinæ matri pariles gratias de imperio suscepto; quòd illa Claudium

illitis veneno boletis infecit. Ita Zenobia bellipotens Hermoniano & Timolao filijs, ex Odenato susceptis, vsurpatum regnum armis industriâq; restituit. Ibat vel in alienas gentes imperium, ni Atheniensis Irene vterum postmodum ferens Constantinum tanti regiminis filium ex Leone viro tulisset. Quisnam sub aulâ Theutonicâ in throni solio sedisset, si nata non fuisset Guilielmo Siculo Regi Constantia, quæ Henrico Imperatori annosa peperit filium, eximiæ claritatis illum heredem? Accedant nunc Marpissa, & Lampedo, belligeræ illæ viduæ; immo Amazonum duæ Leænæ, quæ Cappadocum sanguinem, pro cæde virûm vlciscendâ, sitientes inuicta pectora tam obstinatâ duritie animositatis armârunt, vt in illo formidabili ardore vindictæ sub ferro barbarico, maluerint perire, quàm viuere. Traditur à multis, apud Terracinam vrgentibus Vespasiani militibus, actum fore de Lucio Vitellio, ni Victoriam præstitisset redimita diademate regio Vitellia. Et superbâ crudelitate, atq; armis nocturnis accinta inclytum de se testimonium reddidit Portia, Catonis patris imitata

constantiam, quando ob amorem, immò dolorem Decij Bruti, apud Philippos occisi, ignitos auido gutture carbones inhausit. Pium est reminisci, quàm aptè inuenerit peccatrix sors infœlicem Piramo Thysbiq; gladium; quo se amata virguncula super trajectum puerum, & ægram anxitrahentem animam cum gemitu nominis inuocati transfixit. Ornauit se hoc fulgore nominis Paulina Pompeja, quòd odio vitæ cum Seneca tepentem balneum impauida & apertis venis intrauit. Ast vlli majorum exemplo festina mors Juliæ non cedit, quæ Julio Cæsare natá Pompejum tam ardenter amauit, vt ob illius vestes ab hostiâ in sacrificio cruentatas, velut suspicata virum occisum, conciderit expiraueritq; repente. Superextat non mediocris documenti minor Antonia; quæ subducto è vita Druso anxit misella corde fœmineo, & in æternos planctus iens, residuum neglectæ vitæ dedit in lacrymas. Expectabant percussores animo Meniæ cantatissimi illi Jasonis Argonautæ Lacedæmonica coniuratione notati; quando velatæ, & chlamydes sordidatæ coniuges ergastulo virûm admissæ, ac perituros illos vl-

timo

timo vale visuræ mutatis vestibus pullis emi-
sere damnatos;ipsæ intus manserunt, sub de-
posito montis intrepidæ. Prælata est Roma-
nis cæteris inaudita filiæ puerperæ pietas,quæ
& vagientem domi filiolum,& inediæ suppli-
cio perituram carceri matrem eisdem vbe-
ribus suis sub incauto janitore nutriuit. Ere-
xit Artemisia Lygdami filia ex diuite mar-
more extincto Mausolo sepulcrum ; & colle-
ctos busti cineres inflammãti coniugalis pe-
ctoris vrna sepeliit. Ah quantum glorię quan-
tumue fidei Cimbricis mulieribus attulit ob-
stinata desperatioris pudicitiæ cõstantia,qua
trucidatis à C. Mario consortibus : omnes
vna nocte laqueis se se dedere pendentes. Do-
cuit animosa vlciscendæ castitatis austeritas
quantum debet matronalis splendor sub vl-
tore gladio firmus vigilantiusq; seruari: quan
do apud Asiam Gallogræca illa mulier ani-
mo plena : & corruscans honoribus. Judith
apud Hæbreos constantissima ac casti pro-
positi raritate fulserunt, qua temulentas hæc
ceruices Olophernis ; illa Manlij Torquati
Centurionis caput ictu gladij desectum è sinu
hostium illæsa reportauit ad suos. . Arsit au-


tem flamma virtutis inuiolatum illud pudi-citiæ propositum: quo Lucretia cruentum ense sustinuit pectus aperire, cuius insons stillansque cruor perfidum Sexti Superbi flagitium perpetua expulsione deleuit. Vicit animum suum iniuriæ victrix Aemilia: quæ fuit in sua illa patientiæ animaduertentia primo forsam Aphricano non minor. Hec, ne illibatos viri vel defuncti rumores vlla violaret infamiæ labeculâ, portauit secum moriens sub arcano pectore longas tedę jugalis offensas. Hæc tolerantiæ docta magistra dociles discipulas habuit, à quibus in posteros aliæ transmissę, subnascentesq; aliæ descendentium totam lineam orbe toto replêrunt. Hæc si tecum mente volutes; si oculatiore animo viriliter prospicienterq; consideres intrabit securius de ineundis nuptiis cordi consilium & parabis, quas accendas altari pro sacro thalamo, faces. Magna quippe nimium, & inexpugnabilis coniugum fides in viros; quæ in vtriusq; fortunæ mutatione constantes repercussis desiderijs suis pericula nostra subintrât. Didicere aues pro pariendis ouis parare pullulis nidos. Inclinat in propagationem speciei

suæ

ſuæ natura: & docet illa nos optare nomini, & rebus noſtris hęredes. Inſtituit autem Sacramentum Eccleſia, quo valeamus hilares ad prolis tam dulce pignus accedere. Inuitat ad hoc nos infracta coniugalis amoris integritas, quæ in vigilijs vagitibuſq; contempto labore & pietate filios educat. Hę ſunt quæ propoſita jurisjurandi conteſtatione deuouent ſe vobis, quęvæ in prælongum ſpatium vitæ deductæ, gazas honoreſq; veſtros ſollicito amore cuſtodiunt. Hæ, dum caram ſemper ſemperq; virentē vnitatem ſeruant ſancti coniugij, pro obediendis maioribus imperant ſibi, & prudentiâ ſuâ omnes domeſtici ſchiſmatis indignationes emolliunt. Excitant è contra ineuitabiles exitus, inaudita conſilia, & aſtu atq; armis non minus quàm iure ſanguinis arcent à confinibus bella ſtrepentia: tuentur Reges: Regna conciliant. Hæ ſi quando maritalibus appetuntur iniurijs lauant raptim è violato corde odia facta lacrymulis; & clementiâ bilis accenſę conuitia, linitis in lętitiam blandimentis, extinguunt. Paſſerculis nihil opus eſt vobis, qui ad manum venire aſsueſcant. Aduenìunt viris ad

emendatos nutus vxores, tamquam puellæ arbitrio nutricis attractæ. Quid clamosos catellos viri tenentes in manibus, circumuolutat se blandienti similis mulier, & gestiens gratiam de verberibus refert. At verò dum anus misellæ efficiuntur, eunt pro tuitione domus in casus intrepidè: Nurus vigilantius, atq; nepotes documentis instituunt. Indulgent languentibus ægris: Vltimæ cubitum segni lecto se recipiunt. Verùm vni pijssimæ vitæ socij fato rapiuntur: sepeliunt illæ cum cadaueribus in anxio illo stupore corda viuentia, Disturbant omnia plangoribus: Nec subterfugit hora vlla à memoria præteriti: Sed in orba luminibus senecta, & dum tædio vitæ laborant, miserentur adeo suorum, vt sub deroso mœrore animi rupti, gemitoria funebris obsequij lamenta concelebrent.

Vale. III. Nonas Februarias.



Lauræ Cerete in Bibulum Sempronium De liberali Mulierum institutione Defensio. Epist. LXV.

OBuerberant fatigatas aures tuæ querelæ, quibus per cõpita & palam non mirati solùm, sed dolere te asseris, quod inauditum illud præ me ferre dicar ingenium, quod literatissimo viro .... crediderat. Quasi videare ex argumento concludere, similẽ ad nostro vsq; dies fœminam fuisse raris gentibus visam. Falleris vtrinq; Semproni, & à veritatis tramite deuius in patentius disseminatam falsitatem induceris. Dolendum sanè, immo erubescendum tibi nimium arbitror, qui non iam animosus homo; sed animatus lapis (pretiis studijs, quibus sapientes efficimur; in ægritudine torpentis otij marcescis: & sic in te ipsum non oberrat natura, sed animus, à quo ab facie virtutis per pla[illegible]orem viam itur in scelus, Videris hac arte sub gloriam miratæ iuuenculæ adulari nomini meo, Sed blanda hæc adulationis est captio: nam laqueatus decipulis insidiaris

sexui

sexui in grande æuum semper ornato: & furore tuo persuasus quæris discurrendo calcare me pedibus, & illidere terræ pugnis impactam. Latitat hic irrisio subdola, & degeneris plebeiq; animi est arbitrari se posse oliui instillatione obcæcare Medusam: Melius irrepisses talpæ, quàm Lupo, quum illa caligans oculis aperti nihil videat; huic lumina radient in tenebris. Videt, si nescis, animo sapiens & in subeundam animaduertentiam fenestrat sibi ratione vias. Nam prouidentia futuri cognitrix oculatis pedibus ingruentia mala substernit. Tacuissem, ne dubita, si vni didicisset occursare mihi truxiila tua antiquataq; simultas, quòd non possit Phœbi radius vel in medio luto turpari. Sed stomachor nimia redundatione fastidij: quid deprauetur ijs offendiculis tuis infirmioris sexus nostri conditio. Hinc succeditur sitiens vindictam animus: hinc excitur ad vigiles chartas calamus dormiens: hinc animos silentio longo renatos excandescens ira detexit: Ea ipsa merito causa est, qua ostendere cogor in quãtam virtutis literarumq; famam euaserit gestata illa pectori nostro generositas, quam lar-

gitrix

gitrix honorum scientia per æuum omne sublimat. Certior namq; & legitima est hereditatis illa possessio, quæ ad nos vsq; protracta à sæculi perennioris ęternitate defluxit. Legimus imbutum diuinitate pectus Aethiopicæ Sabbę prophetica soluisse ænigmata Salomonis Aegyptij. Et volunt primi scriptores Amąltheã venturi scientia eruditam responsa cecinisse haud procul à Bajis, circa ripas Auerni; quæ vt erat Sibylla dijs gentilibus digna libros Prisco Tarquinio vendidit, oraculis plenos: Sic Babylonica Vates Heriphyle, remota longiùs diuina mente prospiciens, excidium cineresq; Troiæ, & fortunas Impẽrij Romani, atque Christi nasciturin ysteria descripsit. Nicostrata quoq; mater Euandri, & vaticinij literaturarumque doct issima in tantum iuit ingenium, vt sub figuris sexdecim prima primis latinis primas literas ostenderit. Virebit & fama perennis Isidis Inachiæ, quæ ex Argiuis Deabus vna, sua Ægyptijs legendi elemeta monstrauit. At Zenobia generosæ eruditionis Ægyptia Ægyptias non solùm literas, sed Græcas quoq; &. Latinas ita didicit, vt & Barbaras scripserit, & pere-

grinas historias. Credemus ne quod Thebana Manto, filia Tiresiæ absq; literis fuerit aruspicinâ & Pyromantiâ, Chaldæis illis artibus plena, quando per flammarum motus volatusque auium, atque exta fibrasq; animalium manes alloquens futura nunciabat? Vnde fluxit Tritoniæ Palladi tanta sapientia, qua tot artibus Athenienses erudiit, nisi quod Apollinis Physici scripturas arcanas cum admiratione omnium excussit? Satis me animat Philiasia & Lasthenia Græculæ illæ fœmellæ, litterarum jubar eximium, quæ totiens captiosis argumentorũ cauillationibus, nodosos Platonis delusere discipulos. Cecinit autem in saxeum amantis animum flebiles versus Lesbica Sapho, quos ego ex tacta Orphei Lyra, vel Phœbi plectro resonuisse crediderim. Surrexit postmodum Græca, & plena musis lingua Leontij, quæ ausa est in Theophrasti diuinum eloquium cõmendata viuacitate scribendi acerbiùs inuehere. Nõ omiserim Probam insigni vtriusq; linguę cognitione conspicuam, quę ex Homericis: Virgilianisque fragmentis compositas historias veteris testamenti contexuit. Dignata est gręculam

Se-

Semiamiram Romana majestas, quòd pro subsellio de legibus, deq; regibus dixerit in Senatu sententiam. Peperit item grauida virtute Roma Semproniam, quæ facundo carmine pollens concionata est, & persuasionibus oratorijs animos audientium impleuit. Pari & inexhausto elegantię pręconio celebrata est Hortensia, Hortensij filia, & oratrix, cui gratia dicendi tāta fuit, vt trium-viros ab exoluenda exactione talionis in fœminas maternis illis pijsq; lacrimis miseranda conflexerit. Addo Cornificiam Cornificij Poetæ germanam, cuius natus in litteras amor tantas artes acquisijt, vt & diceretur Castalio latice nutrita, & epigrammata descripserit Heliconijs floribus omni loco semper amœna. Pręetereo Tulliolam hìc Ciceronis, Terentiā, Corneliamq; Romanas in grandioris scientię apicē elatas: cū quibus Nicolosa Bononiensis, Isotaq; Veronea, & Cassandra Veneta sub silentij corusca luce transibunt. Plena est & ornata his exemplis omnis historia, & sic habes os fœtidum argumētis obstructum: quibus fateare naturam discendi æque omnibus vnam impartiri licentiam. Superextra,

raritatis noſtrę ſola quęſtiuncula, quam culpatrix morum electio ſola diſtinguit, Nam alijs inſidet animo cura diſcriminari pectine comas, induere molliores amicus, & digitos vnionibus, atq; ſuper additis gemmis ornare: Aliæ premeditata verbula compoſitis delectantur buccis effundere: Indulgere choreis; eblanditos tractare catellos. Studeant alię inhiare accuratioris mēſę cōuiuijs, dare quietem animi ſomno, & in ſpeculis formoſas facies dedecorare pigmentis. At illæ, quibus ad virtutem integritas maior aſpirat, fręnāt principio iuuenilem animum, meditantur meliora conſilia, durant ſobrietate & laboribus corpus, cohibent deinde linguam, obſeruant aures, componunt in vigilias ingenium, & mentem excitant in contemplationem ad literas probitati ſemper obnoxias. Neque enin datur dono ſcientia, ſed ſtudio. Nam liber animus labori non cedens acrior ſemper ſurgit ad bonum: & exereſcunt longiùs illi atq; latiùs deſideria diſcendi Eſto igitur, ex nulla noſtri ſanctitate non ſimus à datore Deo vllo munere electioris ingenij donatę: Donauit ſatis omnes Natura dotibus

ſuis;

suis: Omnibus opticnis suæ portas aperuit, per quas ad volũtatem mittit ratio legatos, à qua secum sua desideria reportent: Vestra est auctoritas; nostrum ingenium: sed pro virili robore indita est nobis astutia; pro securitate suspictio: Imus nos sorte nostrâ contentæ. At Tu vecors, & percitus irá canis, quò refugis, quasi luporum incursu perterritus. Non spectat victoria fugientem, neq; oculit se, qui vult belli fœdus cum hoste pacisci; imò in desperatioribus rebus castra copiosiùs armis atq; animis sumptis instaurat. Non delectat strenuos populare fugientem: Expecta; solo ne terrore nominis paues? Non sum animo neq; manu barbara: Quis Te timor vrget? Frustra verò Te abdis: callidiùs enim locatæ sunt omni recessu quæ te excipiant insidiæ: Siccine transfuga ex oculis hoc astu te aufers? Sic facti penitens primam Salutis viam tibi ponis in fugâ? Turpitudo ergo tua tecum sit. Nõ meretur in viros nostra bonitas, quòd sub contemptu fœmineo admirari fingas de ingenij felicitate me solam, quæ in cospectu benemeriti fulgoris aliarum musculus sum certe paruissimus. Quare quum sub dissimulato

proposito tegas inuidiam, excusatorijs te di-
ctis circumueftis incassum. Nam obruto
mendatio veritas Deo cara semper emergit.
Hęc eft torta illa via, qua sub fuscato inuidæ
mentis obtutu fers te procul ab homine, ab
officijs, à Deo. Quis mirabitur, Bibule, putas,
si acriùs posthac extulerit se in dicacitatem
tuam percussum dilaceratumq; cor indigna-
bundæ puellæ, cui nugatrix tua temeritas a-
cerbum vulnus inflixit? Ne putes despectis-
simę gentium, quòd existimem me ex Iouis
gremio delapsam: Scholastica discipula sum
sub fauillulâ humilioris ingenij sopita, Inuror
certè nimium, & nimium animi collegit in-
dignata mens, quæ se de tuendo sexu discu-
tians conscia obligatione suspirat. Nam om-
nia penitus, tam quæ in nobis, quàm quæ
extra nos sunt, sexui obnoxia redduntur: Ego
propterea, apud quam virtus semper fuit in
pretio, posthabitâ omni rerum priuatarum
curâ, limabo fatigaboq; calamum contra
linguaces, mendaci gloriâ turgentes: obsta-
bo necnon pertinaciter ad vias insidiarum
instructa; & moliar vltricibus armis expu-
gnare obstrepentium maledicentias infa-

mes

mes, quibus infamatissimi quidam introm̃tesq; furiosis in muliebrem, & dignam veneratione Rempub. infestiùs mordaciùsq; delatrant. Idibus Ianuarijs.

Bernardino Laurino Grammatico Lau. Cer. S. Epist. LXVI.

CArminis & Epistolæ tuæ erudita lectio me cogit, vt ad preces tuas prompta veniam in votum; & depositũ calamum studio rursus intingam; quamquam tamen non meum putem extra ordinem ea retexere, quę omnibus nota celebrantur. nolo ex neglectu meo opinione tuâ Te exuas: Indignum est enim animo grandi surgentem alicujus in se fidei incrementa contemnere. Sed vereor tamen ne si hoc responsum fortè j: juniùs sub trutinâ integrioris judicii libraueris, discredere statum incipias; quæ ante credideras: Nam quid delectationis, quid vsui esse potest scribendi vis illa rapida, cursim transeunteq; festinans? Hæc aliàs. Insiltamus monitis. Memini inuicibili perpessu animi deuicisse Fortunæ durioris injurias, laui publicis lacrimis

vias: sustinuit immoderata passio mala euenientia, & fleui miserandos meorum exitus, sub interno stupore anxiè, durèq; suspirans. Hac castigatiore viâ subdidici quanti mercari possim inanis gloriæ caducũ honorem. Quare in hoc habitu sordido mihi contenta ad Deum sub exoleto velamine, imò sub religiosi numinis fide confugi. Nam sacer animus, Cœlo demissus, sine Deo non potest esse contentus. Noui pridem, & quomodo fortuita certus nemo possideat, & quantum nobis nostra vota mentiantur. Creuit hinc studij mihi litterarumq; ille tãtus amor, à cujus taxato labore nihil vnquam laxamenti mihi conceditur. Excelsi namq; animi vera nobilitat inuios vltrò inaccessosq; labores aggreditur. His malorum angustiis Alcides gloriam origini longe lateq; diffudit. Iuit acrior in variãtis fortunæ casus Vlysses; quẽ neq; Cyrce, neq; Scylla, vel Charybdis fabulosa deterruit. Sitim ex ardore Solis pertulit Alexander armatus, & bellicis armis depugnans non modò non horruit vbiq; sanguinem fusum, sed nequidem ab ingruenti se morte surripuit. Quis Scipiones & Anniba-
les

les tantis inuictem rerum periculis annixos non jure miretur? quos in tardius æuum illustris bellorum gloria protraxit. Christianos Heroas & Ciues nostros Faustinum & Jouitam securior super excruciati martyrii fama nobilitat; quibus præter Vincentium, & Stephanum cõparat Ecclesia nostra rarissimos Apostolos, eorumq; comites non omiserim, tantâ pœnarum acerbitate vexatos, qui trucidati, in exiliumq; trusi,& rebus suis priuati, tum vel in Crucẽ acti, atq; palis infixi,gladio & fame perierunt. Hos militantis fidei strenuissimos Duces comitatior cæsorum turba pòstsequitur, qui,nullis pauefacti cruciatibus, in constantes mortis vmbras iuerunt.Verùm quòd hispidi rigidioris heremi patres excauatos scopulis specus in illâ solitudinis contemplatione coluerint, & ipsa locorum adhuc vestigia testatur, & historiarum fides sanctior ostendit. Nunc sacerdotes innumeri,innumereq; virgines,Deo sacræ,ad monasteria, mundanis curis tuta, refugiunt; & vitam mortemq; vouent Deo custodi. Sollicitatur semper anxia intus nostra cõscentia, & certiùs ad securitatẽ iter inquirit. Nec quie-

ſcit vnquam ſana mens antequam euenerit ordinatæ vitæ finis optatus. Paſſionum nāq; omnes equuleos mors voluntaria præcidit. Quare quum aliquis nos ſemper dolor inurat, quum nullus ſit miſeriarum modus in terris; & nihil habeat, pręter Deum, quod ſperet noſter animus, cōtinuâ futuri ſuſpitione percuſſus, non tardauit me difficultas vlla conſilii, quin generoſum ex humanis ad catholica ſtudium abducerem. Eo namq; gradu congermaneſcunt virtus & ſcientia, quo viator & via. Creuit ergo majoris ingenii viuacitas, quæ in caſtiſſimas ſententias commutaret candorem eloquii. Sic ad interiorem ſacræ legis agnitionem grendeſcens in dies me amor inuitat: cujus inuictæ vires omnia deuincunt. Quòd Caſſandram mihi laudas, in omni diſciplinarum genere fœlicem, nihil noui nuntias: Nulli nota magis eſt ea claritas precioſioris ingenii, quàm mihi. Hanc amicitiam vna virtus interſerit. Literas noſtras ingenioſiùs olim illa perquiſiit. Hinc vidit ſomniatos manes impetrata vltro voluntas. Habet illa calami noſtri notas impreſſas; quas ſi ejus orationi componas, facilè vel

pri-

primore aſpectu arbitrari poteris inter vtramq;. Nec velim tamen vllum ob hoc præiudicium feras: nam neq; tu cognoſcendi legitimus judex, neq; vlla nos in concionem vocat de parilitate contentio. Vale idibus Februariis.

Ad Lupum Cynicum. Lau. Cer. in Auaritiam Admonitio.

Epiſt. LXVII.

CYnice, quid aurum ſitiens, ſolus angeris tecũ? Quid ſiccis labiis deroſum murmur ita maſticas? Quid digitis repetitos digitis reuocas numeros totiens? Quid obducto ſupercilio, & venaticis in terram oculis curuus incedis? ſperas ne omne quod cupis? an fortè putas latiorem te, quàm Alexander, mundum inuadere? Vnus ab vno Deo factus eſt orbis: Alexandrũ vnum natura produxit: Non eſt ea exaggeratio cumulatioris argenti, quæ ſatiare animum poſſit: ad opes coaceruandas auidiùs ſemper ſitit anxia cupiditas. aptiùs tu in Myrmidonem vel formicam Scythiæ trãſiiſſes; egereres lætis hume-

ris erutum è fractis montibus aurum. Emo retia saltem, quibus piscator ex arenosâ Gangis Pactoliq; alueo micantes auri squamulas trahas. Quid domi in hac torpedine mentis tabescis ignauus? Quid sub incuriâ deside hac cupidinariâ habendi curâ tantùm inurceris? Erige solertem ingenii trepidantis industriam, atq; Indiam Troademq; discurre: Cumulatiùs conuectas margaritas acquires, quas candicantiùs conchæ Persici maris exudant. I, Arabes & Bactrianos pete: implebis manticas jocunda viriditate Smaragdi. Prement humeros durus adamas, ardentesq; carbunculli. Vade expectat te vnionum & gemmarum illa preciosissima gloria, quam Regũ lucrosa libido nobilitat: In commerciis cauebis Vuandalos, auarâ nimis perfidiâ dolosos. De clarissimis industriâ Phœnicibus cõsilia dabit euentus. Ad Alexandriæ opulentissimos census promptus erit aditus, & perutilis via. Sed quo abire libet: seu in deserti peruagata vasta petrexeris, seu è diuersis littoribus peregrinâ puppi mare sulcaueris, aut si emensis itinere longo prouinciis Taurum & Caucasum, Olympumq; transiueris: tum vel

inde si per Asiam, & Tarsas perq; Assyriam, atq; Aphricã ad Hispanas Gades vsq; concesseris, periculis tē te offeras semper oportet: hamo atq; retibus omnia contaminatum auaritiæ scelus illaqueat: Sed esto, commercia curribus atq; nauibus barbaræ exteręq; natio nes in Italiam ædesq; trajiciant, eritne satur animus vltrò sibi contentus? Esto uel subrogauerint te sibi insatiabilis cupiditate Crassus, & auidissimus auri Midas, heu quàm volucris, quamq; fallax datetur horum tibi possessi: At esto, vixeris sæcula annosioris Phœnice Mathusalem, quid vsui esse posset citatissima ocyùsq; trãsuolãs illa voluptas? Quod ineuitabile est, semper imminet, & in conspectu senectæ rari moriuntur. Viuacibus autem fert tristiora sæpe senectus. Ignes vidit ruinãq; Trojæ Priamus senex: Lydiam atq; vitam Crœso vetulo infelix vrgentis Cyri prælium abripuit Xerses verò insolentissimus ille Rex, dominandi auidus, post geminas Marathoniæ Thermopylarumq; clades, justâ superueniente irâ Persarum, ingemitoriâ suspiriosi cordis vitâ consenuit. Quid memorem Darium tertio jam & insigni Græcorum bello

sub

ſub inopinatis inſidiis exceptum, qui amiſſos tot exercitus duces, & captiuam deſſolatãq; Matrem in ſenili rugâ defleuit? Sepeliit Sæuienti pelago canum corpus M. ille Marcellus, qui culmine jam ciuilis gloriæ potitus in ſplendenti patrum majeſtate conſederat. Caſtigauit & ſuperbientem fœlicitatem L. Metelli protracta in tot annos oculorum amiſſio. Suſpicarer indulgentioribus auſpiciis partiarium fortè Jouem Cæſari Alexãdroq; fauiſſe; ni demum alter medicata aconiti pocula bibiſſet, alter, cultris vltus, iuiſſet in necem. Omnes ex vno calamitatis fonte profluximus: Peccârunt Primi Parentes: plectitur inquietata poſteritas. Non regreditur noſtri ordo principii: Continuat propagine Mundus antiquâ: ſumus omnes ab Adam: non diluitur ſine lacrymis labes, quam ſordidatrix Natura contraxit. Credisne filios habere Fortunam quos in ærumnis vitæ fœlicitet? Vexat nos ſors improba rerum, & ferox in ſpes noſtras, vanis ſæpe conſiliis eluſas, deſæuit, nequiter debacchatur, inſanit. Quid laborioſo profuit Herculi inter Aphricam atq; Europam proſcindere montes? Quid auxilii affert

Re-

Regibus Ægypti excellens illa celsitudo Pyramidum? Quid faciunt Cyro aut Menelao Atria illa stellis auroq; micantia? Quid Æmilio Delubrum? Quid Amphitheatrum Cæsari? Quid Pompeo Theatrum? Rosere illa famelici temporum dentes: In æternam hi noctem iuerunt. Sic omnes cursu volucri,& depositis humanis imus in mortem. Quòd si noxium onus animi corpus est; si fugacis vitæ tanta breuitas; si sors ingruit semper infestior, quid multam inexplebili voto pecuniam ad breue viaticum paras? si verò quæris pro quietissimo semper otio campos Elysios; non video quomodo ad futuram vitam sit omne aurum satis, Hoc habe consulmus, quòd si quando recessisti à religionis vero tramite deuius, prudentiam tuam nunc decet, vt tantum in virtute animo surgas, quantum ex ejus alta turri in barathrum immane decideras. Est enim virtus omni pecuniâ sat grandior; quæ longiùs vitâ permanens, molestissimos annos in inuiolatâ demum æternæ pacis respiratione reponit. Quæ te igitur tanta exagitatæ mentis concursatio mordeat; vt in exsecrabile luctû flammantius semper anheles? quum

ſit vel apud homines laus omni ære precioſior Ardet mens intus ſub toxicato corde nimis auara: non impulit te in ſtudium acquirendi neceſitas: Inclinat in deſiderium habendi oculus nequam: & tu obducto mentis viſu duras in ſaxum obſtinata præcordia. Sic euenit his, quibus inęſtuat formido major damni, quàm culpæ. Sed tu qui meliorem finem expectas, indue, precor, ſinceræ probitatis mentem innoxiam: elige frugalitatem potiùs quàm diuitias injuſtas; & futuris conſulens deguſta exempla majorum, qui tam velocibus alis deuolârunt ad mortem, Patulas ecce tenet illa fauces, quibus nos vorax ingurgitet: ad hanc impulſore tempore cuncti traducimur: ad hanc omnes improuiſo curſu dilabimur: Neceſſe eſt enim vt refugiente vitâ mors propiùs accedat. Hæc habui, quæ tibi ex hoc fido pectore promerem. Tu, ſi quid fidei habeo apud Te, facilè admittes hæc monita, quæ vera, vel libenter, vel de neceſſitate concedas: Sic de intẽperie deſiderii cõfeſſus parabis tibi per pœnitẽtiã certũ iter ad Cœlũ: & ſic lumẽ veritatis immenſæ intẽtũ alieni pectus intrabit. Vale Cal. Martiis.

Lau-

Laura Cereta ad Marium Bonum, de Apparitione Phantasmatis.
Epist. LXVIII.

INquieta & nugis incessabiliter strepens fœmina hodie aduesperante jam sole incognita cunctis apparuit, quæ seminuda, & strictiore leuâ colubrum tenens, in triuiis sine pudore saltaret: In hanc stridentem crepitu dentium furor quocunq; recessu admiratæ plebis exiuit: è contra minitauit illa reclamãtes pœnas in populum; & tristibus obscœnis in obuios quoscunq; supermodum obserduit, quasi Cocyti flammmis intus arderet Hæc puerilibus quaque versum conuitiis, maledicentiisq; consputa, cum turpiore abominamẽto scelerum, quicquid intemperantię excogitari potest exercuit: clam demum & nesclo qua viæ fugâ ex oculis omniũ euanuit. Mansit vnus omnibus stupor, velut qui se arbitrarentur captiosâ pręstigiosi Phantasmatis, aut alicuius prodigii fallaciâ delusos: Nam si homo illa fuit; quò nam modo in auras leues graue corpus exiuit? Si spiritus quo barathro,

aut

aut quo nutu Dei, putamus, emersit? Hominis habitatio terra est: Hæc igitur furiis armata mulier, non Sisyphus vllus, non Orestes, non Tantalus inter homines fuit, aut Ascalaphus; Neq; patet amplius è fatali sede porta Plutonis, è qua Eumenides anguicomæ, aut horrificæ Gorgones, tergeminusq; Canis concitatiùs in mundum exardeant: Nec surgit ab Orco Alecto luctifica, sollicitaue furiis Megæra, vel Scylla, aut Hydræ, plus solitâ crudelitate strepentes. Ego verò quid hæc dira portenta imminere nobis ostendant tametsi non intelligam; intelligit tamen consternata mens quid formidandum debeat contremiscendumq; pauescere. Vale vii. Cal. Martias.

Ad Lodouicum Cendratam Veronæum, de Initiis, & Causis Militaribus, deq; Bello Brixiano, & Cœlestibus Prodigiis Lauræ Ceretæ Conquestio.
Epist. LXIX.

COElesti ac Bellipotenti Numini Martis Aphri nō solùm, aut Romani, vel Græci, sed Babylones quoq; & Medi, atq; aliæ vel

præ-

præstantissimæ orbe toto Nationes & templa posuerunt & vota: Explicauerunt autem prio ra belli vexilla, terrificus Nembrot ille Gigas, & pater ille Nini Belus Abantides; quos successu temporum Indi, & Scythica Barbaries, Æthyopesq; monstrosi sub exemplo sequuti sunt. Turbauit postmodum rude & contentum pace sæculum belliger ætas Liberi Patris, atq; Saturni. Persarum & Assyriorum frequens eruptio, post fata Dioclis, ire vidit in prælia abnepotem Phraortis Astyagem: Sic temporis tractu exercitus numerosissimi stupescentiam in Spartanum Leonidam inflatissimus Xerxes eduxit; Egregia facinora Patris in Thraces, Thessaliam, ac Thebas atrocissimus transgreditur Alexander, qui de Persis, & Rhodiis, ac Phœnicibus, Aegypiis, Armeniisq; triumphans Scythas & Parthos Hyrcanosq; deleuit. Cyclopes & Titanas, Deos ipsos, & prælia vocantes, tum vel Lapithas, atq; Centauros, ac renatentia semina dentium Poetæ decantent. Cecinit euersæ Trojæ gladios, attritosq; cineres litterarum Princeps Homerus. At crudeles Cyri, Dariiq; strages, & excidia Pharaonis, ac Moysis;
tum

tum vel Amazonum excursiones,& Arabum; Pœnorum quoq; ac Laoedæmoniorum, atq; Atheniensium in Romanos tot obrutas classes latius multo volumen expectat. Tremuere Capitolii saxa nutantia in conspectu Gallorum, qui turbinibus inundârant Italiam. Fatalis de hinc fuit Aphricana gloria Scipionibus; quorũ rarissima corda, non minùs quàm tormentorum moles præcellentissimam strauere Carthaginem, flammis ruinisq; simul admixtis. Non omiserim Gothorum ferocientes & confertissimas gentes, quæ tanto sanguine à suis sedibus ad Romanum descenderunt Imperium: Hinc priuatim discedere à se didicere ciues. Hinc in suscitatos tumultus suspiciosa Rerumpub. creuit inuidia; Hinc ausus Tyrannici violauere finitimos; Hinc tantus sine causâ furor, non de repetitis, aut propulsandis, sed de inuidiâ surgentis gloriæ disceptans, cedendas vel parentum sæpe ceruices edocuit. His demum conjurationibus appetita dominandi libido ad arma Reges exciuit: Hinc exarsit, hinc pululauit superbissima illa prædandi consuetudo, qua tot maria fugaces, & latrunculæ pyratarũ naues

excur-

excursitant. In tranquillo Dux gentium nunquam agit: nunquam bellorum cura quiescit. Quomodo, putas, dormiet vnquam animus, quem vel noctu perniciosus veneni timor inoculat? Inquietatur, nec respirat, illa mens, quę à pace pactisq; fœderibus resiliens, sollicita semper indulget, quo astu deportet quæsitas dolo bellisq; victorias: Quid, quòd vel castra sequentes spes irrita numi sæpe deludit, dum hostium super imminent sæui secures; dum circũstrepunt arma victricia, & cædi suorum cogiq; acies ante ora conspiciunt. Testis est famosa internecio Syllana, & insignis conflictus ille Cannensis pauore & præacerbis luctibus plenus. Infinita militum millia incerta vincendi spes traxit ad mortem. Dubium nanq; & periculosum in dimicantes omne prælium accenditur: nam dum galeatis auribus tympana & strepitus mugiensq; clangor insusurrant, omnes incentore odio indiscretâ vtrinq; cede disæuiunt. Manat adhuc, immo stillat damnis illatum vulnus agro Brixiano, in quem numerosus Calaber, & ferè omnis Italia sub vno populatu commeatu populabunda surrexerat. Coaluit in magnam gen-

tem exercitus, qui majore fractos audaciâ, atq; Olio ponte transmisso, campestria noctu repleuit. Per hunc scutati commeârunt vltro citroq; pedites, qui improbis efferatisq; discursibus finitimos adorti sunt: Horum autem primò repentina rabies foras efferbuit, & majore fracti audaciâ se se dabant in hostem, tamquam ad mortem libertatis amore concurrerent. Sed hi quibus erat summa belli commissa; quum renitentes vicos passim militibus darent in prædam, hebescere Raraliũ agmina pauefacta cæperunt: His successibus hostis elatus, oppidanos quosdam omnibus rebus abrasit, & edictis latè missis ciues ad se accolas adnotatâ proscriptione vocauit: Cástella fossis mœnibusq; circunsepta repens cinxit obsidio. Hinc multorum timor, & profligata fides, ad motus nouitatis aspirans, in rebellionem exarsit: Secuta hinc est defectio locorũ, qua hostis voluntarios in deditionem accepit. Multi tamen multis machinis, ad extremum quasi discrimen adducti, in tormentis, & famis extremâ pernicie mansere constantes. Terras hìc cadentes & raptæ vento frondes obtexerant: senescentem de hic pruinis an-

num glaciauit hiems. Strenuæ in terrâ inclytissimi Robert rediere acies, qui vel in desperatissimis rebus hostium consilia præcipiti juxta Valentum celeritate præuenerat: Aduersus hos terrore magis quàm prælio prorūpens, & agrum depulsis hostibus liberat, & astu bellico paratas omnes eludit insidias: In collectu illo copiarum requisitorum obsidum speciale pignus abducitur; Multa in captiuos crudeliter aguntur; legiones nostræ ad conualles per hyberna disponunt; nec longè per conterminas stationes inimici flumine trasmeato locantur. Tunc credidere se Venetis, qui tumultu atq; cædibus impulsi à fide defecerant: Ita satis superq; is annus calamitate publicâ fuit insignis, Vtrinq; interim multi transfugiebant ad hostes. Ver pluuium imbres demissi tardarunt, Ut primùm herbatior planities effloruit, rediit falcifer turba satellitum; noua tunc quisq; sui auxilia rejungit; Copiæ rursus ex vtroq; sinu deducuntur in cāpum; ex integro noua bella nascuntur, & proximæ villulæ nouo incēdio correptæ cremantur. Dum nouis omnes rebus inhiant, omnes plus omnino periculi cōminantur. Sed equi-

tum dispar creuit instructus: Prouinciam cœpit ingens hostium metus inuadere. His rursus alii se vltro, & sub nullo fœdere dederunt: Alii deditionem pacti sunt, diu conclusi. Iam trementes obsessos minæ quassabant; jam omnia refusus vndiq; timor vrgebat; jam cœperant crebris dilacerationibus omnia vastati: Hostilis tamen gladius à sanguine magis quàm à præda, & incendiis, temperauit manus infandas. Ea illa causa fuit, qua & habitatore casæ, & cultore agri desererentur. Veniebant in dies ad insidias Urbis ordinatæ ea ternæ: sed ex totâ illâ refusus & suffocans se populus certatim exibat, cui animosum pectus semper incaluit se se Patriamq; tueri. Quatiebat tunc vna Fortunæ varietas Parmam, Ferrariam, Veronam, Brixiam, Cremonam, Bergomum, Cremam, omnia bellis ardebant; at dum frustrata spes militum residuum stipẽdii flagitaret incassum, ad amnis Nauigii clauigas de pace pepigere Duces. Agimus nunc mitioris quinquenii tranquillissima spatia. Ego verò per id tempus agebam Isei cum Patre, qui & oræ Sabinę Prætor, & Oppido instaurando Præfectus erat: Huic

quan-

quanta fuerit hostis arcendi solertia, sat ipsa loci facies ostendit, quem latiore fossâ, & murorum extructione, non minùs quàm littorali vallo, & insomni turrium atq; arietum custodiâ muniuit, Mirabar, memini, trepidula, & puerili animo cuncta mandabam: ob id nouior recordatio hæc nunc habuit, quæ licèt sine ordine, non ab re tamen ad Te scriberet, cui in exponendis vel occultis rerum causis mactum semper surgit acumen fœlicioris ingenii. Nescio quid mali portendat, quòd ignis alto scintillans à me visus est in conflictu noctis horrendæ rixari, quasi videatur jaculatum à Stella Martis virus effundi. Vidi & astra sanguinea, quæ sine radiis in ortu; in obitu verò sub insolito pallore subalbicant; ac si gelida caligantis Saturni vis tristes in Naturam profliget angores. At læuâ terrificũ sub nascentis lunæ cornu surrexit, quod per fumidas Cœli vias trementem aspergeret in matutino nubeculam. Hæc ominari non est ausa fœminilis cordis improbitas. Tu cognitor interpresq; Cœli (si Cœlo tamen de venturis danda fides est) ex optato facies, si ordine stelligeri decursus inspecto solueris

 hoc

hos mihi surrepens dubium, quo prędiuinans animus sub percussu fatalis apparentiæ turbatur. Vale. Idibus Martiis.

Lauræ Ceretæ ad Solitariam Europam de falsa delectatione Vitæ Priuatæ Admonitio. Epist. LXX.

QVæsiui & percunctata sũ vigiliore studio sollicitata, in quam agri patriæ res sedem, aut vbi nam hybernatura, vel quem remigrandi ad nos præfinitò diceres diem: Quum certiorem me faceret nemo; exploraui furacibus atq; indagis oculis omnes Ecclesias, si quæsita ex optato forsam occurreres; hanc spem in mediis manibus semper amisi. sic euenit amanti; ut desiderium sæpicule spes cassa deludat: Applicuit tandẽ ex rusticano tugurio villiculus, qui sordidis pedibus, & plenum ignobilitate suâ in triuio populoso tuas mihi litteras daret. Ego verò quanto, & quàm sitienti sororiæ charitatis amore mellitam expectationem hanc ad oscula retulerim, condicere sat potest infusa multitudo spectantium. Exultabant intus præ-

cordia, & tremulâ vox sub hilari frōte gestie-bat. Hoc perfusa gaudio domum è vestigio me contuli: hinc per aulam in cubiculum re-fugi: Sed egi foras, summouiq; omnes, tam-quam essem ad sortem oraculi religionis fido permota; Est enim adeo tuum apud me pre-ciatissimum nomen, vt tāti Te, tuaq; faciam, quanti est vel salus vitæ pensanda. Perlegi ergo diligenter optatissimas litteras tuas, qua rum fuso relatu longa ruris solatia describis: Gratulor tibi nomine omnium, & gratias ago pro porciunculâ meâ, quod vrbico honore deposito ad requiem animi, si requies tamen illa est, priuata refugeris: Sed metuo, pace tua scripserim, ne Te fallat lene hoc & dulce laxamentum ocii fugientis: Nam quæ tuta in humanis potest esse tranquillitas, vbi fle-mus infantes, ignoramus pueræ, laxamur Iuuenes, deflorescimus vetulæ, & decrepitæ nostri tædio miseriâq; languemus? Omnes obuiis incursibus sub injuriâ naturæ percuti-mur: sola Sapiens juribus Fortunæ non paritr Eam autem Sapientem existimo, non quæ se pro solitudinis oblectamento à consortio Ci-uitatis exemit; sed quæ pro æternæ vitæ mer-

sede in medios malorum turbines victrici constantia luctatur. Ea igitur, qua licuit, via urbe excedens, in villulas, tamquam in heremo, peruagaris solula; Istic longum, vt refers, Tibi fuit iter ad montes, apud quos aëreos vmbriferosq; colles vaga transcendis: Ibi ex summis alpium speculis nunc quæritas horrendas antri latebras, nunc profunda abruptæ vallis præcipitia despectas: In hac auia solitudine cliuosi tramitis conspicis virentis Syluæ Platanos, ramosasq; Pinus: audis Lusciniæ modulata murmura, quæ repetitio alternationis garrulæ die noctuq; pertinaciter variat. Ex hoc nemorum sinu tua trahitur delectatio ad insidendum ripis Mellæ recurbæ, quæ, primis fontibus latus montis obuerberans, in arenosum molliter torrentem admittitur; & nunc hac placidis vndis, leniq; meatu prælabitur; nunc illac ex montano anfractu rupta per arua fœlicia interclusis procurrit aquis, ac procul hinc graui dejectu in spumantia saxa ferientibus vndis excurrit: inde nunc aduersis vorticibus retro properas, nunc languidiore circumflexu late stagnans, prouectas tandem cautes in Olii vadum ejectat.

ſtat. Perpulchra ſane quidem eſt arborum denſa illa intactaq; vaſtitas, ſub qua petulci ſaltant, formidoloſiq; fugiunt lepores: hinc ipſa ex obtentu frondium cuncta proſpectans euentui ardenter inhias, ad quo illi præcipiti decurſu in ſubſtratos laqueos improuiſi deciderint. Præter eo nunc è pampineis labruſcis dependentes vuas: Neq; abſoluam ima vallium, vbi tot arbutei fructus, & virentis oleæ baccæ præpingues, atq; caſtaneæ, pungenti corcice tectæ, hirſutum nemus inumbrant: Operæ precium eſt videre inter tot ſacras quercus coronatas æſculos, & montanas fraxinos, nigricanteſq; juniperos. Quid memorem, oportet cornos, ac ſorbos, vel frondentem corylum, aut adoratam Veneris myrtum, triumphaleſq; Lauros? Diſcuſſiſti jam Tu latiùs florea, roreſcentiaq; prata, in quibus anguis, rigori ſquammarum innitens, è vepribus in ciconias exit ad prælia. Falleris hac inani requiē Europa cariſſima, & dum tranquillè agis, quietem omnem ab tuâ fœlicitate conuellis. In hoc non imitabor tua conſilia, quæ gentili veſtigio ſequuntur decantatas in Scholis hiſtorias. Credis, arbitror, majore

animo æmulari Camillum, ac Curios, ac Metellum, P. Scipionem, Q. Cincinnatum, ac Syllam: ex græcis autem Pittacum, Anaxagoram, Euripidem, Mysonem, Heraclitum, atq; Parmenidem; ex quibus illi pro longiore & imperturbatâ vitâ glebas, & rastra, balantumq; greges summis anteposuere splendoribus; hi verò in latibulis heremi, atq; arduis montium superciliis, & maritimis scopulis solâ cõtemplatione studii remotioris adiecerunt. Pertulere hæc illi cunstanter, neq; recusârunt vllum omnino laborem, vt nominis sui dignatio recordationi posteritatis hæreret; ceu qui aliam non expectarent post seculum vitam. At illi prophanati sacrificiis simulacrisq; gentilium, dum sine Deo essent, Deitatem in vanitate quærebant. Sed metuo ne fulgida mentitæ probitatis illa coruscatio illos in tenebrosam voraginem inferæ domus absorbeat. Verùm ipsa Tu, in baptismate ab hujusmodi infidelitatis leprâ mundata, debes securiorem portum inuenire naufraganti animulæ Soror. Est etiam alia tua conditio, quàm gentium, quarum portentosa gentilitas in saltibus montium Pana, atq; Syluanum,

aum, & Napeas, Hamadryadesq; colebat. Non damno qui habent in summis montibus rupibus heremiticas casas. Multi quondam emicuere Philosophi, quos consilio & virtute moderatos, vno omnium oraculo judicauit antiquitas. Sanè cum illis incomparabiles sunt christiani animi dotes, quem non generosum aliquod in vitâ facinus, aut probitatis exemplum vllum posteritate magnificum, sed humilis atq; innocens, excultæ mentis integritas, æternis potest beatorum Hierarchiis inuehere: Infestissima semper fuit nobis humanorum nimia fœlicitas. Fucatur enim ea vitæ bonitas, quam voluptatis dentes in delectatione mordicant. Pensa igitur altiùs, quid sit tibi in hac solitariæ vitę electione seruandum, ne dum sub prosperis annis perturbationes animi fugis, anus demum sub vndosâ pulsatæ cõsientiæ tempestate mergaris. si satietatem animi speras, quæris in dumis teneriores vrticas. Inuidiosa semper hominum sors fuit, & gaudiis semper mæror occurrit: At esto quam diutissimè vixeris, & sub vno & inuiolato fœdere vitæ respires; num tandẽ mors omni poculo aconiti veniet amatior?

riot? Omnes suo tempore in occursum malorum offendimus; nam gaudii atq; tristitiæ congermanus est ordo: sic omne vitæ tempus indessolubilibus implicamentis obuoluitur: sic eum venturi æui diebus præcursi dies eunt in mortem. Sed heu labitur vnicuiq; è carioribus diebus semper hæc vita. Vellem ob id inquietares in pœnitentiâ amissi temporis laceram mentem; Vellem super quærelis indolentium pauperum consilia, opemq; portares; vellem cum viduis, orbatisq; paruulis suspiria passionesq; sentires. Minor hinc amaritudo ad secretum animæ testem intraret, & minus molestiæ morituræ, tibi restaret ad mortem. Olim & ipsa eum comitatu matrum plana montesq; transmisi; sed erat mecum pudore tecta mens intus, quæ animam excruciaret secreto teste conscientiæ: Sunt enim animo peccanti perturbationes semper admixtæ. Aliæ propterea nobis ad Deum scalæ quærendæ sunt, vt quibus in morte non porrigit dexteram virtus. Examinat, si nescis, omnes vna dormitio Vigila Tu, ne Te tua dies illa in tuis delitiis imparatam offendat. Vale iiii. Cal. Martias.

Fatri

Fratri Thomæ de Mediolano, Prædicatorum Philosopho Laur. Cer.
Epist. LXXI.

RESponsura nunc vnis atq; alteris litteris Tuis, sepofui parumper attētioris studii vigilias, quas pro dimetiendis terrarum spatiis vltrò nimis indulgenterq; susceperam: Id enim indagare atq; altiùs prosequi, & enodare suas causas, conjectans animus intro tentabat. Grata erga Te est cordis inuitati curiositas, quòd elaboratis hoc genus Epistolis aperueris mihi lumen ingenii, cujus vigor iners crassa priùs vertigine torpebat in tenebris. Obstupui primùm, sublimitatem eloquentiæ tuæ mirata, cui neminem fortè prætulerim: Prima namq; limatioris styli in te gloria est etiam quidem inter varios flores hominum, qui quondam inauratâ linguâ, & dicendi deitate quadã excelluerunt in terris. Super excedit hanc gratiam tenax illa & capax omnium tui memoria, qua imperturbatæ lucis mente celeri Simonidem Metrodorumq; transcendis. Accreuit & gloriam nomini tuo re-

motiorem inteligētiam indagans ingenium, cujus cōtemplatione vigili tot problematum ænigmata, totq; abditas in naturâ causas aperuisti, quæ absunt à nobis altiùs profundiùsq; remotæ. Potest enim aliquid semper à nobis præter inuenta post nosci; Nam dum in hoc corpore sumus, contuente semper immaginatione dormit ingenium; tenuit namq; semper homines ista dormitio: Docebunt posteri, quod nos præterit; & scimus multa nos, quæ vetustas erronea fortè nō nouit: Adeo augustissima nostræ mentis vasa sunt, quibus recipi dantur ideæ rerum innumeræ. Est autem tibi cum Aristotele manifesta societas, à quo Te major nemo certè surrexit. Tu Repertoribus Argumenti non impar, fallacissimas illas sophismatum ambiguitates adeperis, quas Dialecticæ nodosa subtilitas multipliciùs intricat. Dicā fidenter, citra tamē Theologorum inuidiam, peculiare, vt concio, tibi est, de arcanâ Trinitatis diuinitate differere, velut qui oculatâ intellectus vestigatione, non minùs quàm sub specie sensitiui planam illam præsentissimam demonstras. Nec opto ob id tamen existimes sentire me Deum de-

mon-

monstrabilem organi fictilis esse materiam. Potentissima potiùs in superlatissimis ille causa est, quæ, ceu spectatrix custósq; nostri, inuictum passionibus animum sub humanis viis inhabitat. Scis ista Tu altiùs: Nec fauenti velim ascribas, quod veritatis meritissima requirit integritas. Testis est gymnastica ingeniorum illa multitudo concurrens, in qua tibi tot Principes doctrinæ cœlestium, tot Religionum multarum Antistites, in litterarum omni genere pręstantes anteire stat gratia: Nunquam studium tuum à religione ad litteras transfers: Vtrique ambidexter inseruis. Integra tecum semper est virtus. Probitatis vnam semper sequeris viam, & habes ipse Te semper in humilitatis vero fulgore despectum. Sed non potest tamen virtutis splendor obscurari tenebris. Inflexi animi tui illibata est inuiolataq; constantia; sic cælestem patriam eleuata mens tua semper aduolat; nam cœlestem animam corpori humano habes intusam, & tamen omni ambitione repudiatâ monasticis emendatæ vitæ passibus sub maturo cursu festinas ad Deum: Habes ad hoc iter renotiatam re-

nascentemq; recordationi mortis imaginem, quæ præsens tibi semper assistit. Regit enim Te præstans ille animi spiritus, cujus consilio spernis adeo cœcam, nesciamq; horæ mortis hanc vitam; vt putes ineuitabilem horam illam omni loco tibi paratam. Breuis namq; immò nulla hospitalis in hac vitâ nobis sedes est. Nam tanta est tamq; breuis fugacis æui rapacitas; vt sub vicino semper instanti crastinum pede premat hodierna vestigia. Intelligentiæ igitur & documenti exempla tua magna sunt; sed religiosæ exemplaritatis non certè minora: quippe qui non Te ampliatione majoris famæ, sed Dominicam obseruantiam tuam coronâsti. Exæquas & Patrum seminudorum titulos, quibus per vasta deserti delicias herbę fontesq; parârunt: Nam quum alii priuatis in cellulis cum tabulato stragulo, ac saxeo puluillo soli se silentesq; sequestrent; alii verò nudi pedes, nodosis funibus jejunos ventres obcingant; & sint item alii, qui diuite prouentu, & latè plenis horreis in contemplatione & abstinentiâ contenti sunt; alii autem proclamatam sub vrbicis Ecclesiis Euangelii doctrinam in

quan-

quantâ libet conuenientium turbâ diffundant. Reperiuntur quoq; monachi sub grauiore aspectu barbati, qui vel specus saxis excisos, vel securas in nemoribus casas incolant, quas viminosus luti paleati cespes erexit. At Tu cum Patribus tuis, quos frænatior pœnitentia nobilitat, in asperioris claustri conuentu arctior in feruorem semper insurgis. Quare quum à Te didicerim, corpus hoc inane esse, ac fallax animi pignus, & preciosissimã animæ peregrinæ margaritã esse cõscientiam; retraxi ab illustri humanarũ litterarum gloriâ consilium; ne fortè vanitate mens orba, & imprudens diligentiâ futuri fœlicitatem caduci nominis quærat infelix. Nam quum sit nimia sciendi sollicitudo prodigalitati vitæ suspecta, non debet plus vigiliæ restare semper nobis in studio, tamquam simus solis litteris natæ. Indulgere licet nostris. Dandum est orationibus aliquid, & munere seruitutis honorandus est Deus. Deo namq; cor innocens victima censetur acceptior. Nos enim ipsas, non nostra vult ille, qui nullum habet diadema, quod nostris monilibus ornet. Nam voluntates nostræ apud

Saluatorem super omnia pensantur. Ego verò sub illius oculis constituta cognosco volatilis vitæ meæ dieculam, cujus quamquam vix quintam partem excesserim; detracti sunt tamen ex injuriâ fractæ adolescentiæ tot dies, vt certior esse debeat mortis expectatio, quàm vitæ. Sic tui exemplo, ad regimen securioris viæ, porrigere tuas in manus instituí. Hinc cumulatiores tibi debeo gratias, quòd sub tacito hortatu leuaueris me hoc scribendi ponduseulo, numerosi erroris fortè misertus. Clauditur ergo familiarium Epistolarum hic prima pars sub delumbi, & ab ordine in diuersum abducto stilo strictim, capitulatimq; comprehensa. Superest nunc vt exordiar dignas impressionibus notas: quibus & solidam peccanti animulæ gloriam sine periculo, & altioris boni mercedem sine marcescentia nanciscar. Ego litterarum tuarum præcepta ad aures conscientiæ propius admisi. Ea enim quum mecum semper sit, ego semper mea mihi sum. hinc socius mihi ad temperantiam, vnus æqualitéq; tenor est: qui neglectis humanis surgit ad Deum, ob hoc sius post hac consilium erit epasci vege-

tiori-

tioribus ſtudiis ingenium, quibus ad majora vel ſcientiores erudiantur, ſiue depoſito calamo ſub reſpiratione remiſſioris otii me Deo pręſtiterim: non potero abſtinere tamen, quin colligam mente ſaltem ex cœleſtium ſpeculatione doctrinam. Neq; enim patitur frater virtutis labor, quod poſſit mens generoſa quieſcere. Vale. Pridie Non. Februarias,

Ad Reuerendiſsimum Sedis Apoſtolicę Cardinalem. D.D. Aſcanium Mariam Lauræ Ceretæ in Epiſtolas Epilogus.
Epiſt. LXXII.


RVdis & intemperati calami noſtri primitias, quas olim ſum ex audacia ſcribendi ſecuritate pollicita, tua nunc manus perhumana ſuſcipiet: quæ majori digna munere, non datum, ſed datoris animum conſueuit inſpicere. Diſtuli hæc, non oblita ſum; ſed ſuffudit adeo ex alto corde rubor ora pudentia, vt metuerim primùm, ne epiſtolaris iſta verboſitas lectu foret profatuq; rancidula; & ſordatura eſſet dedecora-

tum hoc opus, immo me, et ipſam abhorrentem à lingua latina. Dum in diuerſum raperetur deliberandi mens anceps, deuorauit hoc pudoris antidotum promiſsæ mihi ignoſcentiæ tuæ ſpes nimia: qua non ignorantium ſimplicitatem modò, ſed vel vltro declinantium errores receptas ad gratiam. Humiliter igitur has omni ornatu chartas exutas ad te auſa eſt ſcribere mea puritas, nullo ſtudio, nulloue nitore linguæ prorſus adiuta. Animabit me ſpero vigilantia majoris ingenii, ſi ſciero cujus dignationis ea ſint apud te, quæ tot precibus tantoq; rogatu ſapientum minor hæc ætas abſoluit. Non eſt à calamo ſurrepta materia, quæ ſit vel claris ſcriptoribus digna. Ad celſitudinem peruii dogmatis me via planior expectat: & ſurrecturus eſt grandeſcentis ſtudii proximus fulgor. Solum probatiunculæ tuæ mihi reſtat exemplum: cujus publico teſtimonio hæc per ſe nuda veſtiantur. Quod vbi calluero, non verebor, etſi me ex inuida plebe alius alium; requirente vultu conſpiciat. Immo ſecura vel ludibrii ſtrepentis hunc librum auſim in traiectum maris ablegare, &

qui-

quidem ad remotas orbe deuio nationes. Nec mirum. legendum namq; vsq; nunc illum satis expectant scopulosæ Cyclades & fatidica Delos, Cretaq; ferax, atq; vltima Thyle Hunc enim fautore te vagi Numidæ, atq; Hyrcani ferales. pictiq; Schytę, & nudi Garamantes exquirent. Mittent autem ex siluis sua thura, Medus & Arabs: Ex arenis dabunt aurum Tagus, & Hermus: Sic tenuia stamina Seres: Sic Mauritani Simias: Sic Æthiops Rhinocerotem, ac Cinama: Sic gemmas Oriens, & Boreas: Sic tributa lachrimati Balsami Iudæa transmittet. Tanti est apud gentes tua sapientia: tanta rerum tuarum æstimatio: tanta nominis auctoritatisq; maiestas. Est enim ingenii litterarumq; tuarum stupenda illa præstantia, Athenarum porticu digna. Nam Socrates, & Plato, per os tuum proloquuntur oracula, & insident labiis tuis, virginei Heliconis illę Camænæ, quę istinc à nobis vel sine clamore sentiuntur. Hinc propterea gratus ibit iste liber in populos, tuo illo sale, tuoq; intus nomine tantum ornatus, vt illum honores nulli, nulla opum humanarum precia refugiunt. Ego ve.ò

puella nondum cognita, etsi mella non epascar Hymeti; nec sint mihi quas dono dederim Policratis annulus, aut Smaragdus Neronis, Achatesq; Pyrrhi: vel Margaritæ ab India Persiaq; conuectæ: pro beneficii tamen qualicunq; mercedula, edam sat spero ex secretis ingenii majus inuentum: quo tuis auspiciis per orbem referente, multos in viriditatem nominis trahet nouior semper admiratio post sæcula. Pridie Kal. Martias.



IACOBI PHILIPPI TOMASINI NOTAE.

EN, mi Lector, paucas tibi notas hasce temporarias, quas à libris per itinera & publica negotia distracto suggessit memoria, dum absentis Typographi operam recenseo. Occupatioribus hæ seruient, ne quid lectionem moretur.

Lauræ Ceretæ) vel vt aliis placet *Cereta*.

Pag. 1. *Ascanius Maria titulo S. Viti Card.*) Vicecomitis Sfortiæ Ducis Mediolanensis filius à Sisto IV. Summo Pontif. purpura decoratus, cujus virtutes tangit Panuinius, & Ciaconius in Vitis Pont. & Cardinal.

Primæ Epistolæ initium non legitur, quod nescio à quo, vel qua de causa, obliteratum fuerit. Cæli positum indicat quo tempore eam exarauit.

Io Oliuerio.) Oliuerii Brixiensis circumfertur Opusculum, suntq; adhuc Brixiæ posteri non degeneres.

Pag 2. *Quadrifrons scientia.*) Quatuor disciplinas superiores procul dubio intelligit, quas vulgo Facultates nominamus, Philosophiā, Medicinā, Iurisprudentiā, Theologiā.

Hac si in intelligentia hosti nō aperuit) Ita erat in M S. locum planè corruptum sic legendum censeo. *Hac si intelligentia ostium non aperuit.*

Pag. 6. *Pondo)* Melius *pondere*. Pondo enim libram significat. quod Laura parum aduertit, quemadmodum & plura alia bonis scriptoribus vsitata in nouum sensum detorsit. Quod ipsius ætati benignè condonandum.

Pag. 13. *Alchimedontis diuinitate permixtum*) i. e. non vsq; dedolatum. Alcimedon enim apud Virgilium iii. Eclog. nobilis sculptor audit.

Pag. 14. *Febriens Leo*) Naturæ enim prorsus est igneæ. Febris autem apud Hippocratem vbiq ignis appellatur.

Pag. 16. *Arachne* Colophonia) i. e. insolens. Colophona namq; superbia in prouerbium abiit, & nota est eruditis Arachnæ fabula.

Hortensius histrio appellatur) per inuidiam fortassis. Cic. enim summus orator Hortensium ab incredibili gestus suauitate commendat.

Bonif. Bembi 17.) Satyrographum prædicat Octauius Rubeus Brixiensis in Elegiis suorum ciuium.

Pag.16. *Oppia lex*) Quam tulit C. Oppius, ne qua mulier plusquam semunciam auri gestaret, neue uestimento diuersi coloris uteretur, neue in urbe aut propius mille passus ueheretur, nisi sacrorum publicorum caussa. de qua Liuius lib. 24. Tacitus lib. 3.

Pag.19. *Endimeon*) Hic primus Lunæ cursum inuenisse fertur. de quo Apollon.

Pag.21. *Capillos scindere*) De hoc ritu in nostro de Donariis veterum Commentario, quem in mariti Cosimi Pinelli morte vxorem imitatam fuisse memorat Paulus Gualdus in Vita Io. Vicentii Pinelli.

Pag.22. *Lege Iulia*) Lex Iulia repetundarum hic innuitur; de qua ex professo Iurisconsulti.

Pag.24. *Ad rostra deferant*) Eleganter pro eo, quòd vulgo ad supremum Iudicem appellare.

Pag.28. *Buxus*) Eleganti metonymia pro tibia, quæ ex buxo conficitur.

Idalia Citheraque lucus) Magna hæc fateor visus oblectamenta; sed longè inferiora iis, modò vera, quæ Hesperidum horto tribuuntur. varia quidem apud veteres extant, nemo tamen ad ingenii voluptatem mihi accuratior videtur Scylace Caryandensi, qui in Periplo hęc prodit: *Est locus profundus Orgiis xviii. præruptus circumquaque, nusquam descensum habens. Vbique verò duobus stadiis non minor est latitudo & longitudo. Hortus hic opacus est arboribus in se inuicem implicatis quam maximè densis. Arbores sunt, lotus; mali omnis generis, punica, piri, arbuti fructus, mora, vites, myrti, lauri, hederæ, oliua, oleastri, amygdali, iuglandes.*

Pag.30. *Falcifer*) Saturnũ innuit. Sic Ouid. in Lib. Fastorum
Caussa ratis superest; Thuscum rate venit ad amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.
Tempus enim quod Saturno adscribitur falcis instar omnia demetit.

Pag.37. *Formicatio*) Ab agmine formicarum erumpentium elegans metaphora.

Xeno

Xenocraticę Academiæ apparatus) I. E. sobrius. Xenocrates enim ab omni voluptate abhorruisse fertur, Hinc etiam Cœna Zenocrate digna Epist.63.

Figurati flatus vatis) I.E. cyathis vitreis.

Murrano) Rectiùs Murrhino vel Myrrhino. Talia enim sunt vasa Murrhina vel Myrrhina ex Murrha seu Onyche, gemmâ, quæ a nostris Porcellanis diuersa, quemadmodũ cõtra Cardanũ, Scaligerum & Mercurialem eruditè ostendit Nicolaus Guibertus peculiari de Murrhinis libello cap. vii. Murina vel Myrina verò potius est mulierum, veluti suo Auctario breui proditurus est Cl. Gaspar Hofmannus.

Pag.38. *Carcer Deloacus*) Eleganter pro vivario artificiosè extructo.

Fannii interdictum) I.E. legem sumptuariam.de qua Aul. Gell. lib. 2. cap.24. qua vetuit vltra denos æris quotidiè insumere extra tempus ludorum.

Placatio vitulus) Frequẽtius n in sacrificia assumebatur.

M.Curii ventrem) M. Curius Ro. singulari frugalitate innotuit.

Pag.39. *Zeroastres*) Zoroastres Bactrianorum Rex.

Cadi) Hyperbolicè, cùm Cadus congios decem contineat, exprimere voluit vulgare illud *Cadinetti*.

Cyneas) Locus iste obscurus est. Cujus hic videtur sensus, Nollem tibi censorem tui luxus nimis memorem. Cyneas enim profundæ memoriæ traditur.

Pag.40. *Claras*) Claræ oppidulum in agro Brixiensi populosum, cuius etiam meminit Epistola 41. Gabriele Rangonum Cardinalem hic natum esse ostendit Octauius Rubeus, cõtra quàm Panuinius & Ciaconius antea statuerãt.

Pag.56. *Costatim*) Nonè ad imitationem Minucii Felicis, apud quem legimus *Artuatim*.

Atlantides) Stellæ Hyades significantur, quas Atlas ex Pleione Oceani filia quinq; susceperat. vid. Iul. Hig.

Figuræ Cocytiæ) I.E. spectri infernalis.

Pag.58. *Halcyone*) Fabulam tangit Ouid. 11. Metam.

Phaeton) Plerumq; Phaeton diuisim: quamquam & aliam rationem ex veteribus tueatur Salmasius.

Pag.59. *Niobe*) Hujus fabulam statuæ marmoreæ, quas pridem Romæ in palatio Mediceorum cum Io. Bapt. Casali

& a

& Gabriele Naudeo Viris amicissimis perlustrauimus, sic ad viuum exprimunt, vt verè saxeus, qui iis nō moueatur.

Pag. 68. *Turritus*) Hunc refert, quam deaimus Cassandræ effigies.

Palliolum Arabicum) Carbasum sericum fortassis intelligit, quo adhuc vtuntur matronæ nobiles.

Pag. 78. *Tomyris*) Tomyris Massagetarum Regina. Lucianus in Charonte.

Vir ait) Eleganter Oraculi responsum versu redditū fingit.

Bryareum) Bryareus gigas Terræ filius.

Abiurate rapina) Mendum suspicor exscriptoris. Rectiùs abactæ rapinæ. Cacus enim Herculis boues abduxerat: cujus rei historia prolixè tradit Liuius lib. 1. Virgil. viii. Aeneid.

Hic spelunca fuit vasto submota recessu
Semihominis Caci.

Pag. 83. *Tagis*) Tages enim Genii filius & nepos Iouis puer Etruriæ incolis aruspicinam tradidisse fertur. de quo Cic. 11. de Diuinat.

Libros Sibyllinos) Sibyllina carmina, quæ hodie circumferuntur, vix omnia germana dixerim, sed ab eruditis hominibus olim ad ingenii exercitium conscripta, vetustatis memoriam meruisse.

Pag. 96. *Petra*) Oppidum agri Piceni. Tres aliæ apud Ferrarium in Topogr. enumerantur.

Pag. 100. *Latus vtrumq; perstringere*) Aliquē ualdè urgere.

103. *Vrceis*) Hodie munimentorū Venetorū est fortissimū.

104. *Centona*) Legendum Falconia, quæ centones scripsit.

119. *Pluit literis*) Hyperbole ex indignatione nata.

120. *Orestes & Phronicus*) Aduersarios notat malesanos per allusionem; in quos Epistolam alibi reliquit. Orestes enim moribus ferus erat. Phrinicus autem (qualiter hic procul dubio legendum) non Phronicus Lacedæmoniorum proditor erat, Comicorum stylo notatus.

121. *Tonstrinarum senatores*) Eleganter ij dicuntur qui in tonstrinis nugas sectantur. Vulgatū est prouerbium. *Lippis ac tonsoribus notum*. Eiusdem generis est illud Epist. 54. ex urnula popinali consultrices.

124. *Pulmonea*) I. E. tumidæ ac superbæ. Pulmones enim faci-

facile inflantur. Vnde Prouerbium reuellere pulmones, I. E. superbos compescere.

124. *Megaras*) Inuidiæ plenas.

134. *Asphodelos & Semperuiuam*) De influentia Planetarum in stirpes è recentioribus egerunt plures. inter ueteres occurrit Thessalus M S. in Bibliotheca Io. Rhodii; quam pridem inter Patauinas vulgauimus.

136. *Characterum figuras*) Horum vanitatem solidè reiecit Cl. Vir Gabriel Naudeus luculento de studio Militari Syntagmate.

140. *Caminus*) Hanc vocem apud Suetonium cap. viii. in Vitellio deprehendo. Non ergo Caminus recentiorum est inuentum, ut putant quidam. De Caminis ueterum aliquid accuratiùs ab Io. Argolo Cl. bonarum literarum in Lyceo Bononiensi Professore.

143. *Lauatos*) Antiquè apud Comicos pro *lotos*.

147. *Tumida guttur*) Vitium indicat vicinorum montium incolis frequens, quod medicorũ vulgo Hernia gutturalis.

159. *Depalmarunt*) Depalmare est colaphum impingere, quo verbo vsus est Gellius.

161. *Larua Gorgonea*) Tangit fabulam Lucretius Lib. ix.
Occæcat a Medusa) Phorci filia, cujus crines à Mineruâ in angues conuersi à nemine videre poterant. vide infra Epist. 65.

162. *Teneri cristati*) I. E. galeati per Metonymiam Adeo juncti. Galeæ enim erant cristatæ.

166. *In Cribro*) Hominis inertiam taxat.

168. *Epicurus*) Neoclis & Cherestratæ filius Philosophus, cujus laudes tangit T. Lucretius passim. Hanc Epistolam, olim ad Iacobũ Gaffarellũ V. Cl. in Galliam misimus in gratiam viri cuiusdam eruditi qui Epicuri Philosophiam restituere conabatur.

169. *Ceretum*) De quo in Vita Ceretæ.
Iseum) Flumen Brixiensis agri piscosum trutarum prouentu celebre.

170. *Cornutibia*) I. E. tibiæ vtriculares Pastorum, quæ vulgo *Cornomuse*.

172. *Laudula*) Nouè imitatione Italici sermonis, quo Alauda *Lodola* dicitur.

175. Pi-

175. *Pilumni*) Vid. Com. nost. de Donariis Cap. xiii.
180. *Hippo*) Puella Bæotia. de qua Plutar. in Pelopon.
181. *Lampedo*) Lacedæmonia mulier regis filia, regis vxor, & regis mater Plin. lib. vii. c.41. raræ felicitatis exēplū.
Marpessa) Marpessa filia Euin uxorq; Idæ, mulier speciosa Hom. 9. Iliad.
197. *Faustinus, & Iouita*) Horum uitas in lucem dedit Rub.
198. *Cassandram*) Hujus vitam ipsius Epistolis præmisimus.
206. *Ascalaphus*) Acherontis filius, à Proserpina in bubonem mutatus.
209. *Inoculat animum*) Abusiuè, perterret. Inoculare propriè est arboribus inserere.
215. *Laxamentum otii*) Plutarchus elegantissimum reliquit libellum, cujus titulus: *An rectè dictum sit, Latenter esse viuendum*. Diuersæ opinionis se ostendit hisce uerbis: *Sicut lumen non manifestos tantum nos, sed & vtiles inuicem facit: ita notitia non gloriam modo, sed & agendi materiam virtutibus parari*. Verè Seneca Epist. 68. *Iactandi genus est, nimis latere, & a conspectu hominum secedere*.
216. *Deiectus*) Seneca cap. xviii. de Consol ad Marc. Dejectus fluminum, *caduta d'acqua*.
221. *Simonidem Metrodorumq;*) Admirabilem vtriusq; memoriam Cic. deprædicat.
229 *Vltima Thyle.*) Ita Virgil. ex sui seculi notitia. Posteriores enim vlteriùs progressi Groenlandiam detexerunt; quibus Thyle est Islandia. Hujus insulæ descriptionem accuratissimam Arngrimus edidit.
230. *Polycratis annulum*) In mare à Tyranno felicitate & opibus affluente projectum, quem tamen coqvus ejus in pisce recuperauit.

Voces parū usitatæ, licentiæ seculi indulgendæ.

Di-

Index Rerum,& Nominum.

Fran-

COR-

CORRIGENDA.

1	*in Vita.* 16.	collis
9	15	Mancipaui
10	10	fruticabit
28	5	Saltantes
43	21	rusticaturq;
45	5	desiuerim
45	11	tegetes
50	15	gladiis
53	16	Dæmonas
	22	possit.
56	13	moriendi
57	1	luctu.
	12	hanc
59	16	marmore
	17	fugientis
69	25	illæ
72	8	humanitatem
75	18	tristem
77	4	saxa
81	3	duplicatæ
	16	aduersum
86	10	asciueris
87	16	refugiunt
91	11	fasciis
	20	scrutabar
94	13	conflictu
95	22	sint
102	22	fatigatione
107	23	monacharum
108	11	nostri
111	8	inquam
113	20	somnus
116	2	succisiuæ
117	1	restat,
119	6	vis
120	8	est
	20	si ei in mei
121	17	sentiam.
	23	succendunt
123	7	indagant
128	9	iter.
130	21	institui
136	3	signorum
138	18	remigrandi
139	2	satellitum
141	2	exstinguitur
142	8	spatium
145	2	digestio.
154	16	aberrantes
155	23	tam
	25	inquietam
156	20	satietas.
159	3	ferro
163	23	obrepsisti
170	16	ridentes
172	15	lacus
172	23	effusio
	24	lustrauimus
175	13	splendoris
182	7	anxiè
	8	transfixit
	10	tepens
186	3	in manibus &
187	10	nostros
188	7	irrepsisses.
	19	succenditur
189	22	elementa.
191	25	superextat
192	4	amicus
194	5	obtutu.
	9	nugatrix
205	10	minitata
209	10	Sæuæ
	24	populatu *dele*
210	25	dehinc.
211	2	Roberti
215	18	puellæ
216	7	prætereo
	11	cortice
219	2	mentibus &